BUCKNELL UNIVERSITY LIBRARY

HOLY GHOST FATHERS'
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

Al. Th. I B-9

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/sthomaeaquinatis00jean

DE UNIONE HYPOSTATICA

Cum opus, cui titulus est: S. THOMÆ AQUINATIS DOCTRINA SINCERA DE UNIONE HYPOSTATICA VERBI DEI CUM HUMANITATE AMPLISSIME DECLARATA, *a* **P. J.-B. Terrien**, *e nostra Societate, compositum tres ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.*

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostræ munitas dedimus.

Parisiis, die 31 Martii 1894.

A. Platel, S. J.

Imprimatur

Parisiis, die 8 Aprilis 1894

† FRANCISCUS CARD. RICHARD

Arch. Parisiensis.

Omnia jura proprietatis auctor sibi vindicat.

S. THOMÆ AQUINATIS O. P.

DOCTRINA SINCERA

DE

UNIONE HYPOSTATICA

VERBI DEI CUM HUMANITATE

AMPLISSIME DECLARATA

AUCTORE J.-B. TERRIEN S. J.

IN CATHOLICO INSTITUTO PARISIENSI S. THEOLOGIAE PROFESSORE





PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA CASSETTE, 10

BT213
T4x

PROOEMIUM

Disputaturus de summo illo mysterio quod *prius absconditum a saeculis et generationibus*, tametsi *manifestatum sit sanctis Dei* per fidem, manet tamen, ut SS. Patrum verbis utar, « ineffabile, mente, ratione, disquisitione humana praestantius, omnemque creaturam majestate sua superans », S. Thomam, doctorem Angelicum, elegi ducem ac praeceptorem : quo, fatentibus omnibus, nemo melius, profundius clariusque nemo, de tanto sacramento scripsit. Et quidem, ut fert ipsemet Opusculi titulus, in illo exarando duplex munus suscepi prosequendum : alterum sincere proponendi mentem S. Doctoris, alterum hanc eamdem ita declarandi, ut suam doctrinam ipse solus explicasse videatur.

Porro, quod ad argumentum disputationis attinet, unicam quaestionem, de substantia scilicet unionis hypostaticae suscepi tractandam : tum quia ea est quae majorem laborem creare solet, tum maxime quia, si semel pro humana mensura soluta fuerit, caetera omnia quae sunt incarnationis Verbi Dei, sua luce perfundet, ut longe facilius capiantur.

Quod vero spectat ad rationem ac methodum dicendi, erit forte qui mirabitur me tam multa de rebus philosophicis ante notasse, quam ad quaestionem propositam devenirem : in his enim octo priora capita, id est totus fere primus liber, consumpta sunt. Sed coegit me magna necessitas, eademque duplex. Et primo quidem, non defuerunt olim nec etiam nunc desunt, eruditi viri qui philosophicam radicem afferendae totius explicationis, distinctionem nempe realem inter existentiam et essentiam creaturae, non modo non recipiebant, sed nec receptam etiam a S. Thoma fuisse contenderunt. Quare,

JUN 22 1981

necesse omnino mihi visum est illam distinctionem attingere, ut auctoritate Angelici doctoris ea certissime muniretur, et, ipso magistro, quae qualisve sit apertius doceretur. Praeterea, plurimos etiam invenire est impeditos saepius ab intelligentia gravissimarum illarum quaestionum, aut quod vim terminorum nesciant, aut certe quod non sat perspectas habeant formulas a S. Thoma passim usurpatas. Erant igitur illi termini definiendi sicut et formulae diligenter explanandae. Denique, S. Doctor habet in moribus ut certis quibusdam principiis innitatur quae veluti cursim injicit, quod alias illa plenius exposuerit. Hinc etiam in quaestione praesenti non minimum impedimentum pluribus quandoque suboritur ; quod ex magna saltem parte remotum erit, si vis et veritas praedictorum principiorum ex applicatione multiplici quam habent in doctrina S. Doctoris, profundius intellectae fuerint : qua de causa non pauca praemisi quae non consideranti videri possent superflua. Et haec sunt quae *primo Libro* continebuntur.

Quibus pro merito peractis, tota consequens explicatio mysterii, *Libro secundo* comprehendenda, evadet et planior et longe facilior : nihil enim aliud fere supererit quam ut, notionibus ac principiis acquisitis utentes, theoriam unionis hypostaticae, illis innixam, ex diversis operibus et textibus S. Thomae tuto colligamus. Et plura forte recitabo quam par esse videretur ; sed memor sum ad officium interpretis pertinere, ut loca minus clara clarioribus aliis illustret, et minus plena plenioribus compleat, nec is sit qui doctrinam auctoris explicandam ex pauculis verbis particulisve textuum a contextu praecisis satis patere sibi persuadeat.

Demum, ut perspicuum magis sit nos sententiam Angelici doctoris assecutos fuisse ; tum etiam ut mens ejus ab impugnationibus quibus vel a principiis fuit obnoxia, vindicetur, ac insuper ex collatione facta cum aliis aliorum placitis et sententiis Patrum uberiori lumine collustretur, *tertium Librum* subjiciam, in quo plurima additamenta ad hos fines conducentia referenda sunt. Caeterum, etsi plurimum mihi placeat expli-

catio mysterii quam exhibuit Angelicus, non contenderim tamen illam esseadeo certam et inconcussam ut, si alii inhaereatur, hoc ipso fides in periculum adducatur. Sunt enim, uti mox innuebam, catholici doctores quibus alia inventa magis arriserunt. Confidotamen fore ut cuicumque bene perspecta fuerit, is illam interpretationem habeat non probabilem modo, sed omnium etiam aptissimam, ut fides Unionis hypostaticae intellectum quem in hoc caliginoso statu nostro quaerit, inveniat, inventumque securius retineat.

LIBER PRIMUS

UNIO HYPOSTATICA

AD MENTEM S. THOMAE DECLARATA

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Notiones quaedam praeviae de significatione terminorum esse, ens, existere in se seu subsistere, subsistentia, substantia, accidens.

Quid *esse?* « *Esse* dicitur dupliciter: uno modo significat *actum existendi* (1); alio modo significat compositionem propositionis quam anima adinvenit, conjungens praedicatum subjecto » (1 p. q. 3 a. 4 ad 2). Scribit etiam S. Doctor in Quodl. 9 a. 3, ubi de industria quaerit, utrum in Christo sit unum esse: « Esse dupliciter dicitur, ut patet per Philosophum in V. Metaphysicorum... Uno modo, secundum quod est copula verbalis

(1) Alii, recentiores præsertim, pro esse et actu existendi maluerunt dicere *existentiam*: quo nomine S. Thomas nunquam usus est.

significans compositionem cujuslibet enunciationis quam anima facit. Unde hoc esse non est in rerum natura, sed tantum in actu animae componentis et dividentis, et sic *esse* attribuitur omni ei de quo propositio formari potest, sive sit ens sive privatio entis : dicimus enim caecitatem esse. Alio modo *esse* dicitur *actus entis* in quantum est ens, id est, *quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura*. Et sic *esse* non attribuitur nisi rebus ipsis quae in decem generibus (Categoriis seu Praedicamentis) continentur : unde *ens* a tali *esse* dictum per decem genera dividitur. Sed hoc esse (quod est actus entis) attribuitur alicui dupliciter : uno modo ut sicut ei quod proprie et vere *habet esse vel est*, et sic attribuitur soli substantiae per se subsistenti : unde quod vere est, dicitur substantia in I. Physic. (textu comm. 27). Omnia vero quae non per se subsistunt, sed *in* alio et *cum* alio, sive sint accidentia, sive formae substantiales, aut quaelibet partes, non habent esse ut ipsa vere sint, sed attribuitur eis esse alio modo, id est, ut *quo* aliquid est, sicut albedo dicitur *esse*, non quia ipsa in se subsistat, sed quia ea aliquid habet *esse* album. Esse ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti. Huic autem attribuitur esse duplex : unum scilicet resultans ex principiis quibus unitas integratur, quod proprium est esse suppositi substantiale ; aliud est esse supposito attributum praeter ea quae integrant ipsum, quod est esse superadditum sive accidentale, ut esse album attribuitur Socrati, cum dicitur : Socrates est albus, etc. » Iterum (III D. 6 q. 2 a. 2), eamdem quaestionem agens, eamdem quoque partitionem habet, additque : « Aliquando tamen *esse* sumitur pro *essentia* secundum quam res est ». Habemus igitur ex dictis triplicem si-

gnificationem nominis *esse:* primam intentionalem, secundam qua sumitur esse pro essentia seu natura, tertiam qua denotat actum essendi seu existentiam ; quae quidem ultima significatio bipartita est, cum hoc esse sit vel substantiale, vel accidentale.

Quid *ens?* Porro sicut esse dicitur multipliciter, uno tamen modo maxime proprie, sic ens pluribus modis effertur.

« *Ens* multipliciter dicitur : sed tamen omne ens dicitur per respectum ad unum primum. Sed hoc primum non est finis vel efficiens sicut in praemissis exemplis (ibidem ad declarandam analogiam allatis), sed subjectum. Alia enim dicuntur entia vel esse, quia per se habent esse, *sicut substantiae*, *quae principaliter et prius entia* dicuntur. Alia vero, quia sunt passiones sive proprietates substantiae, sicut per se accidentia uniuscujusque substantiae. Quaedam vero dicuntur entia, quia sunt via quaedam ad substantiam, sicut generationes et motus. Alia autem entia dicuntur, quia sunt corruptiones substantiae : corruptio enim est via ad non esse, sicut generatio via ad substantiam. Et quia corruptio terminatur ad privationem, sicut generatio ad formam, convenienter ipsae etiam privationes formarum substantialium esse dicuntur. Et iterum, qualitates et accidentia quaedam dicuntur entia, quia sunt activa vel generativa substantiae, vel eorum quae secundum aliquam habitudinem praedictarum ad substantiam dicuntur, vel secundum quamcumque aliam. Item, negationes eorum quae ad substantiam habitudinem habent, vel etiam ipsius substantiae, esse dicuntur. Unde dicimus quod non ens est non ens ; quod non diceretur nisi negationi aliquomodo esse competeret. Sciendum tamen quod prae-

dicti modi essendi ad quatuor possunt reduci. Nam, *unum* eorum quod est debilissimum, est tantum in ratione (in intellectu cogitantis), scilicet negatio et privatio quam dicimus in ratione esse, quia ratio de eis negociatur quasi de quibusdam entibus, dum de eis affirmat vel negat aliquid. Secundum quid autem differant negatio et privatio, infra dicetur. *Aliud* autem proximum huic in debilitate est, secundum quod generatio et corruptio et motus entia dicuntur. Habent enim aliquid admixtum de privatione et negatione. Nam motus est actus imperfectus, ut dicitur III. Physicorum. *Tertium* autem dicitur quod nihil habet de non ente admixtum ; habet tamen esse debile, quia non per se sed in alio, sicut sunt qualitates et substantiae proprietates. *Quartum* autem *genus est quod est perfectissimum, quod scilicet habet esse in natura, absque admixtione privationis, et habet esse firmum et solidum, quasi per se existens, sicut sunt substantiae.* Et ad hoc, sicut ad primum et principale, omnia alia referuntur. Nam qualitates et quantitates dicuntur esse, in quantum *insunt* substantiae ; motus et generationes, in quantum tendunt ad substantiam vel ad aliquid praedictorum ; privationes autem et negationes, in quantum removent aliquid trium praedictorum » (in IV. Metaph. lect. 1).

Lectione autem sequenti nonnulla de ente et *uno* docet quae non inutiliter hic referentur. « Unum, inquit, non est aliud praeter ens : quia quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem... sed differunt ratione. Nam si non differrent ratione, essent penitus synonyma ; et sic nugatio esset, cum dicitur ens homo, et homo unus. Sciendum est enim quod hoc nomen *homo* imponitur a quidditate tantum ; hoc vero

nomen *ens* imponitur *ab actu essendi;* et hoc nomen *unum* ab ordine vel indivisione. Est enim unum, ens indivisum. Idem autem est quod habet essentiam et quod est in se indivisum. Unde tria ista, res, ens, unum, significant omnino idem, sed secundum diversas rationes ».

Quod autem docuit, ens propriissime dici de substantiis subsistentibus, idem confirmat aiendo formas materiales et materiam dici « entia in quantum eis aliquid est » (de Anima a. 19). Et rursus (1 p. q. 104 a. 4 ad 3) : « Dicendum quod formae et accidentia non sunt entia completa, cum non subsistant ; sed quodlibet eorum est aliquid entis : sic enim ens dicitur quia eo aliquid est. » Et alibi (de Veritate q. 21 a. 4 ad 4) : « In formis, inquit, generalibus hujusmodi praedicatio (concreti de abstracto, quae non locum habet in *specialibus*), recipitur. Dicimus enim quod essentia est ens, et bonitas est bona, et unitas una, et sic de aliis. *Cujus ratio est, quia illud quod primo cadit in apprehensione intellectus, est ens;* unde oportet quod cuicumque apprehenso per intellectum intellectus attribuat hoc quod est ens. Et ideo, cum apprehendit essentiam alicujus entis, dicit illam essentiam esse ens; et similiter unamquamque formam generalem vel specialem, ut, bonitas est ens, albedo est ens, et sic de aliis. Et quia quaedam sunt quae communicant rationem entis inseparabiliter, ut unum, bonum et hujusmodi, oportet quod haec de quolibet apprehenso praedicentur eadem ratione qua ens ; unde dicimus : essentia est una et bona... Ens autem, et unum, et bonum, et alia hujusmodi quae de quolibet apprehenso necesse est dici, multipliciter dicuntur. Aliquid enim dicitur ens, *quia in se subsistit;* aliquid, quia est principium sub-

sistendi, scilicet forma ; aliquid, quia est dispositio subsistentis, ut qualitas ; aliquid, quia est privatio dispositionis subsistentis (i. e. in subsistente), ut caecitas. Et ideo, cum dicimus essentia est ens ; ergo est aliquo ens, vel se vel alio ; processus non sequitur, quia (essentia) non dicebatur hoc modo *esse ens*, *sicut aliquid subsistens in esse suo est ens*, sed sicut *quo* aliquid est. Unde, non oportet quaerere quomodo ipsa essentia aliquo sit, sed quomodo aliquid alterum sit per essentiam ». — Conclusio est in promptu. Illud est *ens* sensu maxime proprio quod *in esse suo subsistit*, seu, quod est substantia in esse suo existens. Reliqua vero, quæcumque sunt in natura rerum, entia dicuntur in quantum eis aliquid est.

Quid *subsistere ?* « *Subsistere dicitur aliquid in quantum est sub esse suo*, non quod habeat esse in alio sicut in subjecto » (I D. 23 q. 1 a. 1 ad 3). « Sunt tamen quaedam in praedicamento substantiae per reductionem, ut principia substantiae subsistentis (qualia sunt in compositis corporeis materia et forma materialis), in quibus praedicta compositio (ex esse et quod est) non invenitur. Non *enim subsistunt*, *ideo proprium esse non habent* » (de Verit. q. 27, a. 1, ad 8). « Substantia quae est subjectum, duo habet propria. Quorum primum est quod non indiget extrinseco fundamento in quo sustentetur, sed sustentatur in seipso ; et ideo dicitur *subsistere*, quasi per se et non in alio existens. Aliud vero est quod est fundamentum accidentibus sustentans ipsa, et pro tanto dicitur substare..... Unde si aliqua substantia esset quae per se esset, non tamen esset alicujus accidentis subjectum, posset *proprie* dici subsistentia, non tamen substantia » (de Pot. q. 9 a. 1 ad 4 et in corp. ; col. a. 3 ad 6).

Hoc igitur est *subsistere* quod est esse substantiam « *habentem proprium esse*, existentemque *non in alio sed per se*, seu, quod perinde est, *sub esse suo* ». Propterea anima humana, quia per se et in se existit, subsistens est ; e converso, cum animae brutorum per se non operentur, non sunt subsistentes : « similiter enim unumquodque habet esse et operari » (1 p. q. 75 a. 2 et 3) : quae enim per se non operantur, neque per se et in se sunt, et vice versa.

Sed ipsum *subsistere* duobus modis, uno latiori, strictiori altero, quandoque significatur. Ad objectionem enim qua negabatur anima humana *subsistere*, quia quidquid *subsistit*, dicitur *hoc aliquid ;* anima vero non est hoc aliquid, sed compositum ex anima et corpore ; respondet S. Doctor : « Dicendum, quod hoc *aliquid* potest accipi dupliciter : uno modo pro quocumque subsistente ; alio modo pro subsistente completo in natura alicujus speciei. Primo modo excludit inhaerentiam accidentis et formae etiam materialis, et secundo modo excludit etiam imperfectionem partis. Unde manus posset dici hoc aliquid primo modo, sed non secundo modo. Sic igitur cum anima humana sit pars speciei humanae, potest dici *hoc aliquid* primo modo, quasi subsistens ; sed non secundo modo. Sic enim compositum ex anima et corpore dicitur *hoc aliquid* (perfecte subsistens) » (ibid. a. 2 ad 1). Et iterum (ib. ad 2) : « Per se existens quandoque potest dici aliquid si non sit inhaerens ut accidens et forma materialis, etiamsi sit pars. Sed proprie et per se subsistens dicitur quod neque praedicto modo est inhaerens neque est pars ». Inferius autem ostensuri sumus quod, ut aliquid sit hypostasis vel persona, requiritur posterior hic modus subsistendi. « Dicendum quod anima rationalis

dicitur *hoc aliquid* per modum quod esse subsistens est hoc aliquid, etiamsi habeat rationem partis ; sed ad rationem personae requiritur ulterius quod sit totum et completum » (in III D. 5 q. 3 a. 2 ad 3). Cf. de Anima a. 1 totum.

Quid *subsistentia ?* Quae de verbo *subsistere* dicta sunt, satis innuunt quid in doctrina S. Thomae nomine subsistentiae denotetur, quaeque sit ejus ad substantiam habitudo. Subsistentia potest accipi dupliciter: tum sensu nempe concreto, tum abstracto. Significatione concreta denotat substantiam non utcumque, sed ut existentem per se : « Secundum quod per se existit, et non in alio, (realitas substantialis) vocatur *subsistentia :* illa enim subsistere dicimus quae in se et non in alio existunt » (1 p. q. 29, a. 2). Eodem sensu (de Pot. q. 9, a. 1), scripserat Angelicus : « Substantia quae est subjectum, in quantum subsistit, dicitur *subsistentia* ».

Substantia vero « significat essentiam *cui competit* sic esse, id est, *per se esse :* quod tamen esse non est ejus essentia » (1 p. q. 3, a 5 ad 1). Hoc ipsum disertim docuit (3 p. q. 77, a 1 ad 2). Arguebatur accidentia eucharistica, quantitatem in primis, non posse conservari sine ullo subjecto, quin fiant substantia : « Non est, inquit, definitio substantiae, *ens per se* sine subjecto, nec definitio accidentis, *ens in* subjecto ; sed quidditati seu essentiae substantiae competit habere esse non in subjecto ; quidditati autem sive essentiae accidentis competit habere esse in subjecto. In hoc autem sacramento... non desinunt esse accidentia, nec separatur ab eis definitio accidentis, quae est *aptitudo ad subjectum* quae semper manet in eis, non *actualis* in-

haerentia, nec competit eis definitio substantiae ». Quod idem repetit Quodl. 9, a. 5 ad 2.

Ex quo patet subsistentiam et substantiam inter se comparari, sicut persona et suppositum, animal et homo comparantur ; omnem nempe subsistentiam esse substantiam, sed non e converso substantiam omnem esse subsistentiam : cum ad hoc ut substantia dicatur et sit subsistentia, requiratur ut existat per se.

Subsistentiam abstracte significatam appellat, S. Thomas modum illum existendi qui proprius est rebus in se subsistentibus : qui quidem modus animae rationali competit, quamvis ista sit incompletae naturae. Propterea S. Doctor magnum incommodum arbitratur, si quis cum Origene posuerit animam Christi a mundi principio fuisse creatam : « quia sequeretur quod anima illa aliquando habuisset *propriam subsistentiam* sine Verbo ; et sic, cum fuisset a Verbo assumpta, vel non esset facta unio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia animae praeexistentis » (3 p. q. 6 a. 3). Et haec quidem de *subsistere* et de *subsistentia*.

Restat aliquid observandum de modo existendi qui competit accidentibus. Accidentia, ut S. Thomam modo loquentem audiebamus, non eadem ratione habent esse qua substantiae : hae enim, uti dictum est, habent esse in seipsis ; illa vero, in alio sicut in aliquo subjecto, quod in esse suo primo jam constitutum est, cuique illa ipsa accidentis actualitas superadditur. Quod quidem essendi discrimen S. Doctor significat aiendo id substantiis esse proprium, ut subsistant ; accidentibus, ut insint vel inexistant ; et ita quidem ut esse quod afferunt, non sit ipsius accidentis, sed subjecti seu substantiae secundum formam accidentalem : neque enim intellectio v. g. *ipsa est*,

sed homo *per ipsam est actu intelligens*. Cf. 12. q. 110 a. 2 ad 3. Sed de his postea plenius. Hoc etiam velim adnotari quod aliter subsistit Deus, aliter creatura. Duobus enim modis intelligi potest substantiam aliquam existere in se, seu subsistere : vel nempe quatenus est sua ipsius actualitas et suum esse, vel quatenus participat esse, quod non est sua essentia. Primo modo subsistit Deus ; altero, creatura. Et haec est ratio cur esse divinum appellatur et est *esse subsistens ;* esse vero creatum fert in se modum quemdam accidentis, uti dein ex D. Thoma declarandum est. Cf. S. Doctorem (Quodl. 12 a. 5).

CAPUT II

Distinctio realis inter essentiam et esse quomodo sit intelligenda.

Hoc caput non eo spectat ut probetur S. Thomas essentiam ab esse realiter distinxisse ; id enim in capitibus proxime sequentibus perficiemus : sed tantum ut ostendatur, uti fert titulus, quid hac distinctione sit, quidque non sit intelligendum : quae sane praeambula declaratio studiosum lectorem juvabit ad assequendam Angelici mentem, eamdemque facilius admittendam. Porro essentia et esse sub ratione duplici considerari possunt : 1° nempe, quatenus referuntur ad actualem substantiam quam physica sua compositione constituunt ; 2° quatenus altera ad alterum ordinatur atque comparatur.

Consideratio prima. Substantia quaelibet creata duo prae se fert principia : alterum quo est actu in rerum natura ; alterum quo in hac vel illa rerum specie constituitur et est. Prius illud appellamus *esse* ; posterius istud, quidditatem, essentiam seu naturam. Utrumque principium, etsi latiori significatione dicatur *ens* (de Verit. q. 21 a. 4 ad 4) (1) pressiori tamen dicitur *id quo est* ens hoc vel illud. Nimirum ens proprie et per se praedicatur de composito *quod* subsistit (2) ; essentia autem et esse sunt *ens* in quantum *eis aliquid*, nempe

(1) V. sup. p. 11.
(2) V. sup. p. 8-9.

compositum, est. « In compositis ex materia et forma *quo est* potest dici tripliciter. Potest enim dici *quo est* ipsa forma partis quae dat esse materiae (ut anima in homine); potest etiam dici *quo est* ipse actus essendi, scilicet esse, sicut quo curritur est actus currendi; potest etiam dici *quo est* ipsa natura quae relinquitur ex conjunctione formae cum materia » (1 D. 8 q. 5 a. 2). Habemus ergo substantiam quamlibet actu existentem, si creata illa sit, intrinsece compositam ex duobus principiis : quae quidem singulatim considerata inadaequate ab ipsa, inter se vero adaequate distinguuntur. Et quidem hic essentiam accipimus etiam quatenus est singularis et individua, puta, quatenus est *haec* humanitas, ab aliis sub eadem specie numero distincta.

Consideratio secunda. Essentia et esse ad invicem comparata se habent ut potentia subjectiva et actus in potentia receptus. « Ipsum esse comparatur ad essentiam quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam » (1 p. q. 3 a. 4). Quae quidem habitudo non in solo statu existentiae invenitur, sed etiam pro statu objectivae possibilitatis. Ut enim res sunt in natura rerum, sic erant in objectiva possibilitate. Sive enim homo existat, sive nondum existat, semper ex propria sua ratione est animal rationale, corpore constans et anima. Quapropter, natura vel essentia pro statu purae possibilitatis est potentia in qua sub actione causae efficientis esse recipi possit; pro statu existentiae seu actualitatis, potentia in qua esse receptum est, seu pressius, qua mediante, esse recipitur ab ente quod subsistit. Aliter autem recipitur esse in natura vel essentia, aliter in composito quod constat ex essentia et esse : nam, uti supra notabatur, in illa recipitur ut quid adaequate distinctum ; in isto, ut quid

intrinsecum, si compositum spectetur formaliter ut existens.

Diligenter observandum id quod de potentia subjectiva diximus. Sunt enim qui imaginantur naturam, prout ab *esse* distinguitur, ut potentiam *pure* objectivam, quae tunc habeat rationem potentiae subjectivae, cum in ea esse improprie recipitur : quae magna fallacia est. Etenim, ut modo dicebatur, essentia est potentia, et esse est actus ejus, non in ordine actuali solum, sed et in ordine possibilium. Hoc autem interest inter ordinem seu statum possibilitatis et ordinem seu statum actualitatis, quod in hoc statu essentia et esse exerceant, ut ita dixerim, functionem cuique propriam actus et potentiae, quam pro illo statu possibilitatis solum exercere poterant, accedente divina productione (1).

Itaque quod essentia sit subjectiva potentia recipiendi *esse*, hoc habet ex natura sua, quia scilicet est essentia rei contingentis ; similiter, quod esse sit actus qui, cum

(1) Quid potentia subjectiva sit, quid actus, id est quod in capite sequenti nos docebit Angelicus. Solemne autem apud ipsum est illud effatum : Potentia et actus dividunt ens. Quidquid enim est, quocumque modo sit, aut est actus aut potentia, aut ex actu et potentia compositum. Actus autem, non ille qui est operatio et respondet activae potentiae, sed actus spectatus ut refertur ad potentiam subjectivam seu passivam, proprie definiri non potest. « Prima simplicia, inquit S. Thomas, definiri non possunt, cum non sit in definitionibus abire in infinitum. Actus autem de primis simplicibus est ; unde definiri non potest. Sed per proportionem aliquorum duorum ad invicem potest videri quid est actus » (Metaphys. L. IX, lect. 5). Generatim *in quocumque inveniuntur aliqua duo quorum unum est complementum alterius, proportio unius ad alterum est sicut proportio potentiae ad actum* (c. Gent. L. II, c. 53). Actus igitur et potentia sunt principia intrinseca rerum : alterum ut elementum determinabile seu perfectibile, alterum ut elementum perficiens et determinans. Porro potentia dicitur *subjectiva* seu *receptiva*, quia subjicitur actui quem in se recipit ; *passiva*, quia recipere actum ab agente est quoddam pati ; *realis*, quia pertinet ad constitutionem ejus quod actu completur, et a potentia mere objectiva distinguitur.

in essentia tanquam in potentia subjectiva recipitur, ipsam actuat, hoc etiam habet ex sua natura, qua est esse. Sed quod essentia vel potentia subjectiva inveniatur actu in rerum natura et sit actu natura compositi quod existit, hoc habet dependenter ab esse quocum componitur ; item, quod esse sit de facto esse quo actuatur et est compositum hujus naturae vel illius, hoc habet dependenter ab essentia in qua tanquam in potentia recipitur.

Quapropter neque essentia neque esse vel existentia sunt id quod *existit*, neque seorsum inveniri possunt in rerum natura, uti nec corpus vivum sine anima, nec anima seu forma plantae sine materia quam vegetet. Fac enim quod esse separatim existat, seu quod sit id quod existit, jam erit ipsum actus existendi purus et subsistens; i. e. divinus. « Sicut ergo non possumus dicere quod ipsum currere currat, ita non possumus dicere quod ipsum esse sit », inquit S. Thom. (in Boet. de Hebdom. lect. 2). Simili prorsus ratione de essentia pronunciandum est : nam si per seipsam solam esset id quod est, frustra esse ei adjungeretur, siquidem esset ipsa sibi suum esse, non secus ac ipsa sibi divina natura.

Ex his quae modo tradita sunt, nonnulla quaesita solvuntur.

Utrum et quomodo essentia in statu actualitatis distinguatur a seipsa spectata pro statu possibilitatis ? Resp. Si consideretur sub pura ratione essentiae, nihil differt essentia actuata ab essentia possibili ; i. e. essentia quae est extra causas, ab essentia quae est in potentia creatoris : iisdem enim notis hinc et inde constat, et est eadem perfectio sive simplex, sive composita. Et sane existentia sic accidit naturae creatae, ut nec ipsa natura sit, nec

principium naturae, nec proprietas fluens ex natura.

Sin autem consideretur pro ordine existendi vel actualitatis extra causas, distinguitur a seipsa objective possibili, non ita quidem ut sit *existentia*, sed quatenus est potentia receptiva, per actum essendi vi productionis actuata. Quae tamen actuatio, ut saepe saepius ab Angelico sumus audituri, per se primo nec ad essentiam, nec ad esse terminatur, sed ad compositum ex esse et essentia : quae duo eatenus fiunt et sunt, quatenus fit et est compositum cujus sunt essentia et esse.

Utrum existentia uniatur essentiae mere possibili ? Resp. perinde est ac si quaereretur, utrum anima uniatur corpori non viventi ? Anima non nisi corpori vivo substantialiter unitur, cum ipsum uniri sit et animam vivificare et corpus vivificari. Simili prorsus ratione existentia unitur essentiae, sed essentiae quae existit in composito : cum absurdum sit esse fuisse receptum in essentia, et essentiam esse pure possibilem. Sed ut corpus ita vivit, ut vitam habeat ab anima, sic essentia ita est actu extra causas, ut hanc suam actualitatem ab esse formaliter habeat.

Utrum potentia illa subjectiva quae est essentia, debeat esse in natura rerum, priusquam esse in seipsa recipiat ? Resp. quaestionem hanc esse per omnia simillimam ei qua quaereretur, utrum corpus debeat esse vivum, priusquam ab anima vitam recipiat. Ad rem Ægidius Rom. insignis D. Thomae discipulus (de Ente et essentia q. 9) : « Ad quintum, dicendum quod potentia simul recipit actum et est per illum actu ; nec est actu antequam recipiat actum ; ideo essentia simul recipit esse et existit per illud esse. Ad formam autem arguendi dicendum, quod recipere praesupponit esse, non esse

quod recipit, sed esse aliud ; ut si esse actuale recipitur in essentia, non *praesupponit quod essentia sit secundum esse actuale*, quia tunc esse actuale praesupponeret esse actuale ; sed secundum nostrum modum concipiendi esse actuale praesupponit *esse essentiae* in quo recipitur, sicut actus praesupponit potentiam : simul tempore tamen producitur essentia et esse ». Itaque, nulla prioritas temporis fingi potest ; quandoquidem essentia, cum sit contingens, non existit nisi per esse receptum, et esse, cum non sit subsistens, non producitur nisi in potentia sui receptiva. Nihilominus in ordine causandi prius intelligitur essentia sub *ratione* capacitatis receptivae, seu formae secundum quam esse participatur, quam intelligatur esse sub ratione actus compositi dantis ut hoc consistat in rerum natura.

Utrum essentia et esse sint seorsim terminus productionis ? Resp. Nec essentia nec esse per se seorsim existunt ; ergo, quia productio eo tendit ut res *sit,* nec seorsim producuntur. Id igitur quod producitur, et, quo producto, producuntur essentia et esse, est compositum subsistens ex essentia et esse. Fac enim ut essentia et esse sint secundum se terminus productionis, utrumque fieret ens in se et per se existens, et neutrum esset principium intrinsecum et inadaequatum entis.

Quomodo fieri possit ut aliquid non per se, sed per aliud sit in natura rerum ? Et ego similiter quaeram : quomodo fieri possit ut aliquid sit vivum, et per aliud vivum ; intelligens actu, et per aliud, intellectionem scilicet, intelligens ; sanctum, et per aliud a se sanctum ? Respondebitur vivere corpus, quia recepit in se formam quae est principium vivendi ; hominem intelligere, quia, quantumvis ex essentia sua non sit actu intelligens, pro-

ducit intellectionem immanenter in se receptam ; sanctum esse, quia gratia et virtutibus infusis intus actuatur et perficitur. Jam vero, sicut corpus per aliud vivit, per aliud intelligit, per aliud est sanctus, sic essentia per aliud in rerum natura constituitur. Et is solum in hoc intelligendo difficultatem patietur insuperabilem, qui non attendens satis quid forma sit et materia, quid actus et potentia, nihil aliud in rebus compositis cogitat quam entia quaedam distincta et veluti juxtaposita, vel ad summum accidentaliter et dynamice conjuncta ; perinde ac si nulla principia intrinseca rerum compositarum essent, quibus illae res existunt, quaeque tamen ipsa non sunt id quod est et subsistit.

Quaeritur iterum, an id quod quis in homine demonstrat, demonstrata essentia, esse autem non demonstrato, sit aliquid actuale vel non actuale ? Resp. Si finxeris essentiam demonstratam ab esse separari, jam essentia nihil est actu, nisi in potentia factoris : quod idem et de esse et de composito pronunciandum est. Si finxeris autem, uti sese res habet, essentiam distinctam ab esse, non tamen separatam, respondendum, essentiam illam ex propriis, ut ita dixerim, meritis nihil habere quam quod essentia sit et potentia receptiva : essentia per ordinem ad ens, potentia per ordinem ad esse quod est actus essendi. Sed ex meritis actus essendi quem in se recepit, formaliter habet quod sit extra causas in natura rerum. Accipe similitudinem. Si quaeratur utrum id quod in homine demonstro, significato quidem intellectu, sed intellectione non significata, sit *actu* intelligens, nec ne. Respondebis id quidem esse intelligens actu, ita tamen ut sit *ex sese* potentia et virtute tantum intelligens, formaliter autem et actu per intellectionem imma-

nenter in se receptam. Sicut ergo probanda non est sententia qua diceretur, hominem non esse intelligentem actu, nisi sint unum intellectus et intellectio, sic neque approbanda illa qua negaretur hominem existere, si aliud in ipso foret essentia, aliud esse. Sit aliud exemplum. Quaecumque signetur pars humani corporis, vivit ipsa, quamvis ratione sui, quatenus est corporea moles, utique non vivat. Unde vivit? Per animam quae materiae, tanquam actus potentiae, copulatur in unum.

Regeret quis, parem non esse conditionem essentiae et aliarum potentiarum receptivarum: nam hae praeexistunt actui recipiendo; essentia autem non praeexistit. Data, non concessa, praeexistentia illa quae generatim supponitur, par conditio remanet: semper enim potentia subjectiva, ratione sui spectata, non id habet quod ab actu suo consequitur. Quod si in caeteris praesupponi debet ut existens, causa non est quia potentia receptiva est, sed quia actus in ea recipiendus est accidentale quid, et non affert primum esse. Dictum est autem: data, non concessa... Nam materia v. g. per se non praesupponitur ut existens ad hoc quod uniatur cum forma: siquidem forma est quae dat esse, juxta sensum mox definiendum.

Notandum praeterea, quo distinctior evadat nostra declaratio, quod non opus est ut praedicata quae rei cuique conveniunt, omnia et singula per *unum et idem* illi conveniant. Sufficit enim ut nihil de re praedicari possit, quod in re non habeat aliquod intrinsecum sui principium. Sit homo quidam: ut dicatur spiritualis, corporeus, insignis sanctitate, doctus, actu intelligens, et ita porro, necesse non est ut in ipso corpus, spiritus, sanctitas, doctrina, intellectio sint unum et idem. Pari

prorsus modo, satis est si essentiam et existentiam habeat, ut sit et homo et existens, etsi essentia ab esse distinguatur.

Ultimo, notandum est quod, etsi sit duplex compositio substantialis in entibus corporeis, altera ex materia et forma, altera ex essentia et esse, multum una differt ab alia. Prima enim hujusmodi est ut ex principiis componentibus resultet tertia res, natura scilicet completa, puta humanitas: altera autem eo tendit solum, ut id quod potentia tantum erat, hoc ipsum sit nunc actu. Quae quidem animadversio multum conducit ut intelligatur quomodo facta sit in Christo unio pure hypostatica, id est, in unitate personae, non item naturae (Cf. Quodl. 2 a. 3).

CAPUT III

Quid de praedicta distinctione S. Thomas senserit, et quo sensu forma dat esse?

Exposita distinctione reali quam necessario praesupponit theoria de unione hypostatica dehinc explananda, necesse est ut ostendamus quid de illa S. Thomas senserit, quodque nostra declaratione nihil aliud contineatur quam quod ipse multoties docuit.

Et primo quidem, non modo saepe docet essentiam ab esse quod est actus entis, distingui, sed *ipsissimis verbis* hanc esse distinctionem *realem* affirmat. Et nos quidem non id assumimus probandum ex Opusculis *dubiis*, sed ex operibus certissime genuinis.

Loquitur de angelis et de angelica duratione quam aevum appellat. « *Actus,* inquit, qui mensuratur ab aevo, scilicet *ipsum esse aeviterni* (angeli), differt ab eo cujus est actus, *re quidem*, sed non secundum rationem successionis, quia utrumque sine successione est... *Esse* autem quod mensuratur aeternitate, est *idem re* cum eo cujus est actus, sed differt tantum *ratione,* in quantum scilicet ipsa aeternitas respicit ipsum *esse divinum,* et nunc aeternitatis quidditatem ipsius rei quae *secundum rem* non est aliud quam suum *esse*, sed *ratione* tantum (est aliud) » (1 D. 19 q. 2 a. 2). Quod igitur plures asserunt de creaturis, distingui scilicet in ipsis *sola ratione* essentiam ab esse, idipsum S. Thomas docet esse Deo proprium ; quam vero distinctionem *rea-*

lem a creatis abjiciunt, hanc totidem verbis ipsis essentialiter inesse significat.

Alibi vero (de Verit. q. 27 a. 1), quaerens utrum gratia sit in aliquo genere creatorum, objicit sibi, nihil esse sub genere, nisi sit compositum. Cum ergo gratia non sit composita, nec ad genus rerum creatarum pertinet. Accipe responsum : « Ad octavum, dicendum quod *omne* quod est in genere substantiae, est *compositum reali compositione*, eo quod id quod est in praedicamento substantiae est in *suo esse subsistens*, et oportet quod *esse suum sit aliud quam ipsum :* alias non posset *differre secundum esse* ab illis cum quibus convenit in ratione quidditatis (1), quod requiritur in omnibus quae sunt directe in praedicamento substantiae, et ideo omne quod est directe in praedicamento substantiae compositum est saltem *ex esse et quod est*. Sunt tamen quaedam in praedicamento substantiae per reductionem, ut principia substantiae subsistentis (puta, materia, forma materialis), in quibus *praedicta compositio* non invenitur. *Non enim subsistunt, et ideo proprium esse non habent*. Similiter accidentia, quia non subsistunt, non est *eorum proprie* esse, sed subjectum *est* aliquale secundum ea : unde proprie dicuntur magis entis quam entia. Et ideo ad hoc quod aliquid sit in praedicamento aliquo accidentis, non requiritur quod sit compositum compositione *reali*, sed solummodo *compositione rationis* ex genere et differentia ; et talis compositio in gratia invenitur ». Itaque, docetur primo verbis expressis com-

(1) Hic significatur ratio gravissima cur S. Doctor negat Deum esse sub genere : quia non est aliud ipse quam suum esse ; nec in ipso differunt essentia et esse (1 p. q. 3 a. 5 ; c. Gent. L. 1 c. 25 ; de Potent. q. 7 a. 3, etc.).

positio *realis*, et in oppositione quidem ad compositionem *rationis*. Praeterea, quae compositio affirmatur de substantiis, haec ipsa negatur de principiis earum constitutivis ; quae pari tamen jure affirmanda de iis esset, si essentia et esse forent idem re, nec aliter ac ratione distinguerentur. Et sane, quicumque tenent hanc identitatem, nihil distinguunt inter substantias, principia vel partes substantiarum et proprietates ; sed in omnibus eamdem identitatem realem cum eadem distinctione logica propugnant.

S. Thomas (opusc. in Boetium de Hebdomadibus, lect. 2), explicaturus haec verba Boetii : « Omni composito aliud est *esse*, aliud, ipsum *est* », etc. Haec habet : « Deinde cum dicit : Omni composito aliud est *esse*, aliud *ipsum est*, ponit conceptiones de composito et simplici quae pertinent ad rationem unius. Est autem considerandum quod ea quae supra dicta sunt de diversitate *ipsius esse et ejus quod est* (puta, hominis et illius existentiae), est secundum ipsas intentiones. Hic autem ostendit *quomodo applicetur ad res*. Et primo ostendit hoc in compositis, secundo in simplicibus, ibi, — omne simplex esse suum et id quod est, unum habet. — Est ergo considerandum quod sicut *esse* et *quod est* differunt in simplicibus secundum *intentiones*, ita in compositis differunt *realiter* : quod quidem manifestum est ex praemissis. Dictum est enim supra quod ipsum *esse* neque participat aliquid, ut ejus ratio constituatur ex multis, neque habet aliquid extraneum admixtum, ut sit in eo compositio accidentis, et ideo ipsum esse non est compositum. *Res ergo composita non est suum esse* ; et ideo dicit quod in — omni composito *aliud* est esse, et *aliud* ipsum, — compositum quod est participatum (i. e. quod

participavit) ipsum esse. Deinde cum dicit — omne simplex, esse suum et id quod est, unum habet, — ostendit qualiter se habet in simplicibus ; in quibus necesse est quod ipsum esse et id quod est sit unum et idem *realiter*. Si enim esset aliud *realiter* id quod est et ipsum esse, jam non esset simplex, sed compositum ».

At occurrit difficultas quae, si nonnullis credatur; vim testimonii funditus elidit. Loquitur enim Boetius de *simplicibus* pluraliter dictis : alia ergo sunt praeter Deum in quibus esse non differt ab eo quod est et habet esse. Scrupulum hunc tollit id quod in commentario proxime sequitur. « Est tamen considerandum, inquit B. Thomas, quod cum simplex dicatur aliquid ex eo quod caret compositione, nihil prohibet aliquid esse secundum quid simplex, in quantum caret aliqua compositione, quod tamen non est omnino simplex.... Si ergo inveniantur aliquae formae non in materia, unaquaeque earum est quidem simplex in quantum caret materia, et per consequens quantitate quae est dispositio materiae ; quia tamen quaelibet forma est determinativa ipsius esse, nulla earum est ipsum esse, sed habens esse... et sic nulla earum *erit vere simplex*. Id autem erit solum vere simplex quod non participat esse, non quidem inhaerens, sed subsistens. Hoc autem non potest esse nisi unum ; quia si ipsum esse nihil aliud habet admixtum praeter id quod est esse, ut dictum est, impossibile est id quod est ipsum esse multiplicari per aliquid diversificans; et quia nihil aliud praeter se habet admixtum, consequens est quod nullius accidentis sit susceptivum. Hoc autem simplex et unum et sublime est Deus ». Ergo secundum D. Thomam illud simplex in quo solo non est *realiter* aliud esse, aliud essentia, Deus est, isque solus.

Denique (Quaest. un. de Spirit. Creaturis a. 1), postquam pluribus ostendit substantiam spiritualem non esse compositam ex materia et forma, ut quidam opinati sunt, prosequitur in hunc modum : « Si tamen quaecumque *duo* se habent ad *invicem ut potentia et actus,* nominentur materia et forma, nihil obstat, ut non fiat vis in verbis, quod in substantiis spiritualibus sit materia et forma. Oportet enim in substantia spirituali creata esse *duo* quorum *unum* comparatur ad *alterum* ut potentia ad actum : quod sic patet. Manifestum est enim quod primum Ens, quod Deus est, est actus infinitus, utpote habens in se totam essendi plenitudinem, non contractam ad aliquam naturam generis vel speciei. Unde oportet quod ipsum esse ejus non sit esse quasi inditum alicui naturae quae non sit suum esse : quia sic finiretur ad illam naturam. Unde dicimus quod Deus est ipsum suum esse. Hoc enim non potest dici de aliquo alio. Sicut enim impossibile est quod sint plures albedines separatae ; sed si esset albedo separata ab omni subjecto et recipiente, esset una tantum ; ita impossibile est quod sit *ipsum esse* subsistens nisi unum tantum. Omne igitur quod est post primum ens, cum non sit suum esse, *habet esse in aliquo receptum,* per quod ipsum esse contrahitur ; et sic in quolibet creato *aliud* est *natura rei quae participat esse*, et *aliud ipsum esse participatum ;* et cum quaelibet res participet per assimilationem ad primum actum, in quantum habet esse ; necesse est quod esse participatum in unoquoque comparetur ad naturam participantem ipsum, *sicut actus ad potentiam.* In natura igitur rerum corporearum materia non per se *participat ipsum esse* sed per formam : forma enim adveniens materiae facit ipsam esse actu, sicut anima corpori. Unde

in rebus compositis est considerare *duplicem actum et duplicem potentiam*. Nam primo quidem materia est potentia respectu formae, et forma est actus ejus ; et iterum natura constituta ex materia et forma est *ut potentia respectu ipsius esse, in quantum est susceptiva ejus*. Remoto igitur fundamento materiae, si remaneat aliqua forma determinatae naturae per se subsistens, non in materia, adhuc comparabitur ad suum esse ut potentia ad actum. *Non dico autem ut potentiam separabilem a suo actu*, sed quam suus actus semper comitetur. Et hoc modo natura spiritualis substantiae quae non est composita ex materia et forma, est ut potentia respectu sui esse ; et sic in substantia spirituali est *compositio potentiae et actus*, et per consequens formae et materiae, si tamen omnis potentia nominetur materia. Sed tamen hoc non est proprie dictum secundum communem usum nominum ».

Observes in hoc textu non scribi quidem *nomen* distinctionis realis, sed plura dici quibus haec distinctio clarius quam ipso nomine significetur : nam aliud dicitur esse substantia spiritualis, aliud esse ejus ; essentia appellatur potentia receptiva secundum ordinem ad esse, non secus ac materia secundum ordinem ad formam ; compositio significatur naturae et esse, non aliter ac materiae et formae. Denique, Deus esse dicitur infinitus et unicus, cujus essentia est esse. Caeterum, ne quis injuria suspicetur compositionem illam essentiae et esse forsan esse rationis et logicam, ut est compositio generis et differentiae, monet S. Doctor logicam hanc compositionem ab illa reali pendere totam ; tum expresse negat aliam in natura dari compositionem substantialem praeter compositionem essentiae et esse, materiae et formae.

Ergo compositio essentiae et esse *realis* est : alioquin connumeranda non esset cum compositione materiae et formae, sed cum aliis pluribus, puta generis et differentiae, essentiae et principiorum individualium, quae sunt compositiones rationis, etsi fundamentum in rebus habeant. De caetero, si cui placuerit audire nomen *compositionis realis*, is adeat de Verit. q. 27, a. 1 ad 8, ubi positum est.

Ultimum textum afferamus. Loquitur S. Thomas de puris spiritibus et quaerit utrum etiam in illis differant *esse* et *quod est*. Respondet affirmando : « Invenitur enim in eis aliqua compositio, ex eo quod non *est idem* in eis *esse* et quod *est*. Si *enim esse est subsistens* (i. e. non receptum in alio), *nihil praeter esse ei adjungitur;* quia in his etiam quorum esse non est subsistens, quod inest existenti praeter *esse* ejus, est quidem existenti unitum, non autem est unum cum esse ejus, nisi per accidens, in quantum est unum subjectum, habens esse et id quod est praeter esse ; sicut patet quod Sorti praeter suum esse substantiale inest album : quod quidem diversum est ab ejus esse substantiali : non enim idem est esse Sortem et esse album nisi per accidens. Si igitur non sit (supple : *nisi*, ne sensus sit absurdus), esse in alia qua substantia, non remanebit aliquis modus in quo possit ei uniri id quod est praeter esse (1). *Esse autem in quantum est esse, non potest esse diversum* ; potest autem diversificari per aliquid quod est praeter esse : sicut esse lapidis est aliud ab esse hominis. Illud igitur quod est subsistens (hoc est, esse quod non accidit alicui essentiae), non potest esse nisi unum tantum. Ostensum est autem quod Deus est suum esse subsistens.

(1) V. sup., p. 29, versus finem.

Nihil igitur aliud praeter ipsum potest esse suum esse. Oportet igitur *in omni substantia* quae est praeter ipsum, *aliud* esse ipsam *substantiam* et *aliud esse* ejus » (c. Gent. L. II, c. 52).

Quare, « in substantiis intellectualibus creatis est actus et potentia... *compositio actus et potentiae*. In quocumque enim inveniuntur *aliqua duo*, quorum unum est complementum alterius, *proportio unius ad alterum est* sicut proportio potentiae ad actum : nihil enim completur nisi per proprium actum. In substantia autem intellectuali creata *inveniuntur duo*, *scilicet substantia ipsa* et *esse ejus*, quod non est ipsa substantia, ut ostensum est ; ipsum autem esse est complementum substantiae existentis : unumquodque enim est actu per hoc quod esse habet. Relinquitur ergo quod in qualibet praedictarum substantiarum *sit compositio actus et potentiae* » (ib. c. 53).

Sed dignissimum notatu est caput 54, ubi probat S. Doctor « quod non est idem compositio ex materia et forma, et ex substantia et esse, quamvis utraque sit ex potentia et actu. Primo quidem, quia materia non est ipsa substantia rei.., sed est pars ejus. Secundo autem, quia ipsum esse non est proprius actus materiae, sed substantiae totius : ejus enim actus est esse, de quo possumus dicere quod sit. Esse autem non dicitur de materia, sed de toto : unde materia non potest dici quod est, sed ipsa substantia est id quod est. Tertio, quia nec forma est ipsum esse, sed se habent (forma et esse) secundum ordinem : comparatur enim forma ad ipsum esse sicut lux ad lucidum vel albedo ad album esse, deinde, quia ad ipsam etiam formam comparatur ipsum esse ut actus. *Per hoc enim*, *in compositis ex materia*

et forma, forma dicitur esse principium essendi, quia est complementum substantiae cujus actus est ipsum esse, sicut diaphanum est aeri principium lucendi, quia facit eum proprium subjectum luminis. Unde in compositis ex materia et forma nec materia nec forma potest dici ipsum *quod est,* nec etiam ipsum esse ; forma tamen potest dici *quo est,* secundum quod est essendi principium. Ipsa autem tota substantia est ipsum quod est ; et ipsum *esse* est *quo* substantia denominatur ens. In substantiis autem intellectualibus quae non sunt ex materia et forma compositae, ut (c. 50 et 51) ostensum est, sed in eis ipsa substantia est forma subsistens, forma est *quod* est, ipsum autem esse est actus *quo* est ; et propter hoc *in eis est unica compositio actus et potentiae,* quae scilicet est ex *substantia* et *esse,* quae a quibusdam dicitur ex *quod est* et *esse,* vel ex *quod* est et *quo* est. — In substantiis autem compositis ex materia et forma, est *duplex compositio actus et potentiae :* prima quidem ipsius substantiae quae componitur ex materia et forma ; *secunda vero ex ipsa substantia* composita *et esse,* quae etiam potest dici ex *quod est* et *esse,* vel ex *quod est* et *quo est.*

Sic igitur patet quod compositio actus et potentiae est *in plus* quam compositio formae et materiae : unde materia et forma dividunt substantiam materialem, potentia autem et actus dividunt ens commune. Et propter hoc quaecumque quidem consequuntur potentiam et actum, in quantum hujusmodi, sunt communia substantiis materialibus et immaterialibus creatis, sicut recipere et recipi, perficere et perfici ; quaecumque vero sunt propria materiae et formae, in quantum hujusmodi, sicut generare et corrumpi, et alia hujusmodi, haec sunt

propria substantiarum materialium, et nullo modo conveniunt substantiis immaterialibus creatis ». Hactenus S. Doctor (c. Gent. L. II, c. 54) : quae quidem latius exscripsi, propterea quod multum conferunt ad intelligendam distinctionem de qua disputamus, imo totam D. Thomae doctrinam.

Quibus autem instantioribus modis distinctionem ut realem significare potuerit, plane non video : dixit enim essentiam et existentiam re distingui, non ratione solum ; dixit alteram cum altera componi compositione reali ; comparavit hanc compositionem cum illa quae est materiae et formae, et ita quidem comparavit ut negaret praeter has duas compositiones ullam aliam dari substantialem, etsi non desint aliae quae sunt rationis etiam majoris ; negavit ejusmodi compositionem ullo modo reperiri vel in partibus substantiarum, vel in principiis earum constitutivis, id est, in materia et forma, quae tamen habent suam essentiam ; demum affirmavit eam esse qua in substantia quaque subsistenti creata sunt elementa intrinsece constitutiva duo, essentia et esse, potentia recipiens actum, et actus in potentia receptus. Quae sane omnia, si distinctionem realem non exprimunt, ad fallendum non ad docendum comparata esse dicenda sunt.

Priusquam ad alia convertamur, pauca juvabit addidisse tum de compositione essentiae et esse, tum de modo hanc eamdem significandi. Et primo quidem, ejusmodi compositio aliter intelligenda est ac illa qua materia cum forma copulatur.

Ex altera enim compositione, materiae scilicet cum forma, resultat essentia rei completae, res tertia ; non item, ex illa prima. Haec S. Thomas (Quodl. 2 a 3), ubi probat

angelum componi ex essentia et esse, quod tamen ultimum de illo praedicatur non per essentiam sed per participationem. « Sciendum, inquit, quod aliquid participatur dupliciter : uno modo quasi existens de substantia participantis, sicut genus participatur a specie. Hoc autem modo *esse* non participatur a creatura : id enim est de substantia rei quod cadit in ejus definitione. *Ens* esse autem non ponitur in definitione creaturae, quia nec est genus nec differentia : unde participatur sicut aliquid non existens de essentia rei ; et ideo alia quaestio est *an est* et *quid est*. Unde, cum omne quod est praeter essentiam rei, dicatur *accidens ;* esse quod pertinet ad quaestionem *an est*, est *accidens* (1)..... Sed verum est quod hoc nomen *ens*, secundum quod importat rem cui competit hujusmodi *esse*, sic significat essentiam rei... Si ergo in angelo est compositio ex *essentia* et *esse*, non tamen est compositio sicut ex partibus substantiae, sed *sicut ex substantia et ex* eo quod adhaeret substantiae.

Ad primum ergo dicendum quod aliquando ex his quae simul junguntur, relinquitur aliqua res tertia, sicut ex anima et corpore constituitur humanitas, quae est homo : unde homo componitur ex anima et corpore. Aliquando autem ex his quae simul junguntur, non resultat res tertia, sed resultat quaedam ratio composita ; sicut ratio hominis albi resolvitur in rationem hominis et in rationem albi : et in talibus aliquid componitur ex

(1) Cavet saepius, ne putes *esse* connumerari accidentibus proprie dictis : « Dico quod esse substantiale rei non est accidens, sed actualitas cujuslibet formae existentis, sive sine materia, sive cum materia... Et quod Hilarius dicit, dico quod *accidens dicitur large omne id quod non est* pars essentiae ; et sic est esse in rebus creatis, quia in solo Deo esse est ejus essentia » (Quodl. 12 a. 5 ; col. IV Metaph. lect. 3, et I D. 3 q. 4 a. 2 ad 2.)

seipso et alio, sicut album componitur ex eo quod est album et albedine » (Quodl. 2 a. 3).

Angeli autem, quia substantiae corporeae non sunt, unam tantummodo compositionem veri nominis admittunt, ex essentia scilicet et esse ; quod ipsum de anima rationali affirmandum est. « Si autem inveniamus aliquam quidditatem quae non sit composita ex materia et forma, illa quidditas aut est esse suum aut non. Si illa quidditas sit esse suum, sic erit essentia ipsius Dei quae est suum esse, et erit omnino simplex. Si vero non sit ipsum esse, oportet quod habeat esse acquisitum ab alio, sicut est omnis quidditas creata. Et quia haec quidditas posita est non subsistere in materia, non acquireretur sibi esse in altero, sicut quidditatibus compositis ; imo acquireretur sibi esse in se, et ita quidditas erit *hoc quod est,* et ipsum esse suum erit *quo est*. Et quia omne quod non habet aliquid a se, est possibile respectu illius, hujusmodi quidditas, cum habeat esse ab alio, erit possibilis respectu illius esse, in quo nulla cadit potentia (passiva seu receptiva) ; et ita in tali quidditate invenietur potentia et actus, secundum quod ipsa quidditas est possibilis, et esse suum est actus ejus. Et hoc modo intelligo in angelis compositionem essentiae et actus, et de quo est et quod est ; et similiter in anima. Unde angelus vel anima potest dici quidditas vel natura vel forma simplex, in quantum eorum quidditas non componitur ex diversis ; *tamen advenit sibi compositio horum duorum,* scilicet quidditatis et actus » (1 D. 8 q. 5 a. 2 in corp. ; col. ad 1).

Quod autem attinet ad modum exprimendi compositionem illam, S. Thomas tribus utitur formulis. Est scilicet compositio ex essentia seu quidditate et esse, vel

compositio ex quod est et esse, vel tandem compositio ex quod est et quo est, ut videre est L. II c. Gent. c. 54.

Eamdem compositionem sic exprimit in 1 p. q. 50 a. 1 ad 3, quo in loco demonstrat angelos esse formas sine materia. « Dicendum, inquit, quod, licet in angelo non sit compositio formae et materiae, est tamen in eo *actus* et *potentia*. Quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium, in quibus invenitur *duplex compositio*. Prima quidem formae et materiae ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita non est suum esse, sed esse est actus ejus. Unde ipsa natura comparatur ad suum esse, sicut potentia ad actum. Subtracta ergo materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet *comparatio formae ad ipsum esse*, ut *potentiae ad actum*. Et talis compositio intelligenda est in angelis. Et hoc est quod a quibusdam dicitur, quod angelus est compositus *ex quo est et quod est ;* vel *ex esse et quod est*, ut Boetius dicit. Nam *quod est* est ipsa forma subsistens ; *ipsum autem esse* est quo substantia est (in rerum natura) ; sicut cursus est quo currens currit. Sed in Deo non est aliud esse et quod est, ut supra ostensum est. Unde solus Deus est actus purus » ; ens, inquam, in quo cum nulla potentia sit quae recipiat actum, actus ipse purus est potentiae. Et iterum (de Spirit. Creat. a. 1 ad. 8): « Dicendum quod non idem est componi ex quod est et quo est, et ex materia et forma. Licet enim forma possit dici quo aliquid est, tamen materia non proprie potest dici quod est, cum non sit nisi in potentia ; sed quod est, est id quod subsistit in esse : quod quidem in substantiis corporeis est ipsum compositum ex materia et forma, in sub-

stantiis autem incorporeis est ipsa forma simplex; quo est autem est ipsum esse participatum ».

Hic consistendum esset. Verum quia formula secundum quam S. Thomas saepe saepius docet quod in compositis *forma dat esse*, quod esse est per formam, quod forma est principium essendi, ancipitis est significationis, opus est ut sedulo declaretur ne, si ambigua maneat, non pauca capita doctrinae perperam intelligantur. Formulam explicavit Angelicus c. Gent. L. II c. 54 : « Ipsum esse non est proprius actus materiae, sed substantiae totius : ejus enim actus est esse, de quo possumus dicere quod sit; esse autem non dicitur de materia, sed de toto. Unde materia non potest dici *quod* est; sed ipsa substantia est id quod est. Quia nec forma est ipsum esse... ad ipsam etiam formam comparatur esse ut actus. Per hoc enim in compositis ex materia et forma, *forma dicitur esse principium essendi, quia est complementum substantiae, cujus actus est ipsum esse;* sicut diaphanum est aeri principium lucendi, quia facit eum proprium subjectum luminis ».

Hac etiam de causa materia saltem improprie, *partes* item, possunt appellari principium essendi, quatenus intrinsece concurrunt ad constitutionem substantiae. « Pro tanto dicitur ex partibus consistere esse corporis, quia ex partibus suis corpus constituitur tale, ut possit ab anima esse recipere » (de Anima a. 1). Hoc ipsum de tota natura praedicatur : siquidem haec ad esse comparatur ut potentia in qua, tanquam in *causa* materiali, esse recipitur, et per quam finitur ac determinatur ut sit hoc esse potius quam illud, esse hominis potius quam mineralis aut plantae. Hinc sunt haec et similia S. Doctoris dicta : « Esse consequitur naturam, non sicut habentem

esse, sed sicut qua aliquid est » (3 p. q. 17 a. 2 ad 1). « Materia est ut potentia respectu formae, et forma est actus ejus ; et iterum, natura constituta ex materia et forma est ut potentia respectu ipsius esse, in quantum est susceptiva ejus » (de Spirit. Creat. a. 1). Item, natura est non modo potentia ratione cujus esse recipitur, sed et « forma determinativa ipsius esse » (in Boet. de Hebdom. l. 2) ; ex quo fit ut, in iis quorum essentia ab esse distinguitur, hoc esse necessario contrahatur ad essentiae capacitatem et limitetur (1 p. q. 7 a. 2). Itaque forma dat esse, quatenus perficiendo communicatione sui naturam, perficit hoc ipso propriam potentiam in qua recipitur, contrahitur et determinatur esse. Quid autem eadem formula denotet, cum ad animam et humanam Christi naturam transfertur, suo loco declarabitur. Simili prorsus significatione dictum est (de Spirit. Creatur. a. 1) : « In natura rerum corporearum materia non per se participat esse, sed per formam ». Tunc enim solum fit capax actuationis, cum est actuata per formam ut sit pars determinatae cujusdam naturae.

CAPUT IV.

Principia tria quae totam de unione substantiali doctrinam moderantur.

Principium I. Totuplex est ens quotuplex est esse substantiale, nec plus, nec minus.

« Impossibile est quod unius rei non sit nisi unum esse » (3 p. q. 17 a. 2). « Unitas rei consequitur esse suum. Unde eodem modo praedicatur de re ens et unum, quod convertitur cum ente... Et ideo non potest esse quod sit suppositum unum, et *esse* ejus non sit unum » (in III D. 18 q. 1 a. 1 ad 3). Et iterum : « Unumquodque hoc modo habet unitatem quo habet esse ; et per consequens idem est judicium de multiplicatione rei et de esse ipsius » (1 p. q. 76 a. 2 ad 2; col. q. 77 a. 2 ad 3). « *Esse* est id in quo fundatur *unitas* suppositi : unde esse multiplex (non tamen accidentale) praejudicat unitati suppositi » (Quodl. 9 a. 3 ad 2). « *Impossibile est* quod *unum aliquid habeat duo esse substantialia*, quia unum fundatur super ens : unde si sint plura esse, secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est quod dicatur unum » (III D. 6 q. 2 a. 2). Rationem principii dedit S. Doctor. Ens dicitur ab esse substantiali, sicut ab humanitate homo (1). Ergo quemadmodum a duabus humanitatibus est duplex homo, sic a duobus esse substantialibus duplex ens. « Bonum enim sicut ens dupliciter dicitur : uno modo simpliciter : et

(1) V. sup. fin. p. 11 et init. p. 12.

sic bonum et ens dicitur *substantia quae in suo esse* et in sua bonitate subsistit... » (3 p. q. 11 a. 5 ad 3) : ex quo fit ut duae substantiae quae in suo esse quaeque subsistant, sint de necessitate duo *entia simpliciter dicta*. Quae si confluant in unum, unitas consequens ea erit quae sit duorum entium simpliciter, id est unitas accidentalis, et secundum quid. Quod si rursus opponatur, ex duobus entibus quae singula suum esse proprium habeant, fieri posse subsistens quoddam unicum, satis erit ea commemorasse quae nos docuit S. Thomas (1) de subsistentia et de *subsistere*, de ente et de esse. Substantiae enim duae, per hoc quod unaquaeque suum esse proprium retinet, sunt non solum entia, sed *subsistentiae duae* i. e. hypostases etiam et supposita. Hinc illud S. Doctoris in *Sed contra* (III D. 6 q. 2 a. 2) : *Omne quod habet per se esse, est subsistens. Si ergo in Christo est duplex esse, sunt ibi duo subsistentia, ergo et duae hypostases.*

Principium II, cum illo primo consertum. « Illud quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in *communionem* illius esse completi, (id est, nisi pro suo esse participet esse illius entis completi cui conjungitur) » (3 p. q. 2 a. 6 ad 2). « Dicendum quod illud quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter, nisi forte assumatur ad participationem ipsius esse substantialis, sicut supra, D. 8 q. 5 a. 2 de Anima. Sed hoc tamen non sufficit ut sit accidens in se. Potest enim aliquid in se substantia esse, et advenire alicui accidentaliter ; sed si adveniat post esse completum, ut *forma inhaerens*, de necessitate est ac-

(1) V. sup. p. 12-14.

cidens » (1 D. 17 q. 1 a. 2). Ex quo sequitur unionem substantialem sine unitate *esse* substantialis intelligi minime posse. Attendas, velim, principium esse *generale: quidquid advenit*, et quomodocumque tandem adveniat; sive sit id quod advenit, substantia completa quoad essentiam et in se subsistens, sive sit principium substantiae, sicut forma, sicut patebit ex applicationibus principii mox recitandis. Et sane fieri nequit ut id quod est naturâ completum et habet suum esse proprium, adhuc compleatur substantialiter.

Quare, si quid accidat ulterius, oportet sit aut accidens quoddam, ut scientia, aut accidentaliter unitum, ut vestis vel aliud hujusmodi. Dictum autem est : nisi trahatur in communionem illius esse completi ; sicut nutrimentum trahitur in substantiam et esse manducantis, et corpus resurgens ad esse subsistentis animae. Principium tamen principalissime locum habet cum enti completo, i. e. quoad essentiam et esse completo, aliud accedit ens quod et ipsum sit et completum quoad essentiam, et in seipso existens, i. e. in esse suo constitutum : hinc enim utrumque terminatum in se est, et quidem ultimo : nam « esse est actualitas omnium rerum et etiam ipsarum formarum », ut dicit S. Doctor (1 p. q. 4 a. 1).

Principium III. « Quod habet esse completum in quo subsistit, non potest uniri alteri nisi tribus modis : vel accidentaliter, ut tunica homini ; vel per modum aggregationis, sicut lapis lapidi in acervo ; vel aliquo accidente, sicut homo unitur Deo per amorem vel gratiam : et neutra harum (unionum) est unio simpliciter, sed secundum quid... » (III D. 6 q. 1 a. 2 ; col. 3 p. q. 2 a. 1). Et rursus : « Duo quae sunt in actu, nunquam sunt unum actu ; sed duo quae sunt in potentia sunt unum actu, si-

cut patet in partibus continui... Et secundum hunc modum Democritus recte dixit quod impossibile est, unum fieri ex duobus, et ex uno fieri duo. *Est enim intelligendum quod duo in actu existentia, nunquam faciunt unum* » (Metaph. L. VII, lect. 13). Ratio est in promptu: nam haec duo quorum unumquodque suam habet existentiam, nullo vinculo substantiali connecti possunt in unum ens : nec essentia scilicet, siquidem non habent illa rationem partis ; nec existentia, siquidem unum ab altero secundum eamdem ipsam dividitur. Itaque, cum « unum sit in se indivisum et ab aliis divisum », plane repugnat ut ibi sit indivisio substantiae, atque adeo unitas, ubi quidquid substantialiter ad rem pertinet, est ex toto distinctum. Et sane, qui intelligere est quod duo, in ipso ordine in quo sunt duo, sint unum ? quod tamen admittendum esset si duo entia actu essent unum ens actu.

Ex principiis illis tribus colligitur eos probe assecutos esse mentem S. Doctoris qui cum P. Matt. Liberatore (1) definiverunt « unum per se id cujus unum est esse, licet forte partibus constet... unum per accidens, quod etiam dicitur unum secundum quid, id cujus plura sunt esse, licet aliqua unione conjuncta ». Quamobrem unio substantialis tunc est quando plura sic convenerunt, ut unitorum sit unum et idem esse.

(1) Metaph. gener. c. 1, n. 26.

CAPUT V

Subindicantur quaestiones quas S. Thomas ope distinctionis inter essentiam et existentiam enodavit.

Pendet apud S. Thomam, uti dictum, a doctrina quae naturam ab esse realiter distinguit et a principiis eidem innixis, tota fere solutio quaestionis circa substantialem Verbi cum humanitate conjunctionem versantis. Propterea nobis visa sunt et distinctio illa realis et principia multiplicibus applicationibus communienda ac illustranda. In hoc capite quinto de distinctione dicemus ; in sequenti, de principiis.

Primo loco veniunt quaestiones ad doctrinam de Deo pertinentes. Quibus S. Doctor praemittit quaestionem illam fundamentalem : utrum in Deo essentia et esse sint idem ; seu, quod perinde est, utrum Deus sit suum esse? Hanc solvit aiendo ; nec *aiendo* solum, sed idipsum quod de Deo affirmat, *negando* de creaturis. Cf. 1 p. q. 3 a. 4 ; II c. Gent. c. 23, 52 ; Quodl. 2 a. 3 ; Comp. Theol. c. 11 ; de Pot. q. 7 a. 2, etc.

Tum consequenter quaecumque dicuntur attributa divina, ea, si non unice, principalius tamen probat ex praejacto principio quod in solo Deo essentia est esse. Probat, inquam, immultiplicabilem divinitatis unitatem (1 p. q. 11 a. 3 ; I D. 2 q. 1 a. 1 in *Sed contra* ; Comp. Theol. c. 15 ; de Spirit. Creat. a. 1 (1) ; I c. Gent. c. 42 ; de Pot. q. 3 a. 6). Probat divinae perfectionis infinita-

(1) V. sup. p. 30.

tem (1 p. q. 7 a. 1 et 2; I D. 43 q. 1 a. 1; I c. Gent. c. 43; de Spirit. Creat. a. 1 (1). Probat *illimitatam esse* bonitatem Dei, sapientiam, potentiam, et ita porro (1 D. 43 q. 1 a. 1; de Pot. q. 1 a. 2; 1 p. q. 14 a. 5, etc.). Probat esse Deum immutabilem et imparem cuilibet accidenti recipiendo (1 p. q. 3 a. 6; Comp. Theol. c. 23; I c. Gent. c. 23; I D. 8 q. 3 a. 1 et 2). Probat aeternitatem (1 p. q. 10 a. 2 et 3; I D. 8 q. 2 a. 1 et 2; D. 19 q. 2 a. 2, etc). Probat Deum esse extra et supra quodlibet genus, etiam substantiae (1 p. q. 3 a. 5; I c. Gent. c. 25; de Pot. q. 7 a. 3, etc.). Probat Deum esse non intelligentem ac volentem viventemque modo, sed suum intelligere, vivere, velle (1 p. q. 14 a 4; q. 18 a. 3 ad 2; I c. Gent. c. 45, 73; Comp. Theol. c. 31 et 34). Demum, ut plura mittam, probat hoc esse proprium essentiae divinae, quippe quae tota totaliterque sit esse purissimum, ut intellectui Beatorum per modum intelligibilis seu speciei seu formae conjungatur (Supplem. q. 92 a. 2; III c. Gent. c. 51).

Non ignoro nonnullos esse qui pro elidenda vi probationis hujusce scripserunt duplici ratione posse quid dici idem cum esse suo, nempe materialiter tantum, et formaliter. Materialiter, inquam, quando revera essentia et esse identificantur; formaliter, cum esse non identificatur tantum essentiae, sed hanc constituit. Secundum primam rationem datur distinctio logica, seu virtualis, inter essentiam et esse; secundum alteram, nulla ne rationis quidem. At alius omnino sensus est Angelici doctoris. Ipse enim formulam utramque, aliam qua dicitur Deus esse *suum esse*, aliam qua dicitur essentiam esse

(1) V. sup. p. 30.

idem *cum esse*, promiscue usurpat, etsi per auctores illos una de solo Deo, altera de creaturis dici posset. Insuper, ut apud ipsum legitur Deus esse suum esse, sic legitur Deus esse suum nosse, suum posse, suum velle; quae tamen tria *ratione* distinguit ab esse: ex quo colligitur formulam qua dicitur Deus esse suum *esse*, non excludi distinctionem rationis, sed realem tantummodo. Quod summum est, distinctionem *realem* in creaturis, *rationis* et *secundum intentionem* in Deo totidem verbis agnoscit (1). Adde quod, hac posita differentia creaturam inter et Deum, redditur ratio cur Deus dicatur actus purus; cur ejus esse sit irreceptum; cur sit esse subsistens; dum esse creaturae dicitur esse receptum, esse quod habet aliquam rationem accidentis. Est Deus actus purus, quia totus et totaliter est esse, cui nulla supponitur potentia; *esse* divinum est irreceptum, quia nulla essentia distincta est, *in qua* recipiatur (2); subsistens, quia non *accidit* essentiae praesuppositae.

Secundo loco veniunt quaestiones praecipuae de creaturis. Quae enim attributa S. Thomas affirmat de Deo, infinitatem, aeternitatem, immutabilitatem, et caetera quae modo prosequebamur, haec eadem de creaturis ob hoc negat quod in his esse recipiatur *in essentia* (3) re distincta qua coarctatur, limitatur, specificatur. Exempla nonnulla demus praeter ea quae locis modo notatis quisque per seipsum invenire potest.

S. Thomas de puris spiritibus inter alia quaerit (1 p. q. 54), utrum *intelligere* angelorum sit eorum essentia vel esse; utrum potentia qua angelus intelligit, idem

(1) V. sup. p. 26 et 28.
(2) V. sup. p. 29, 31, etc.
(3) Ibid.

sit ac ejus essentia : quibus quaesitis respondet innixus principio, « quod in omni creato essentia differt ab esse, quodque comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum ». Eodem de argumento disputans Com. in secundum librum Sententiarum, objecerat sibi quod, cum intellectus substantiae separatae videatur semper in actu esse, videtur quod in ea non differat species intellecta et substantia intellectus, ac ideo angeli cognoscant res per suam essentiam. Accipe solutionem : « Ad quartum dicendum, quod intellectus angelicus, etsi ponatur semper in actu respectu cognitionum naturalium, non tamen esse in actu habet a se sed ab alio : unde sicut in ipso differt esse et quod est, ita differt in eo intellectus et quo intelligit », ut eadem sit utrinque distinctio, nempe realis et non tantummodo rationis seu logica (II D. 3 q. 3, a. 1 ad 4).

Hinc etiam reddit responsum quaestioni num creatura sit simplex aut composita ? « Dicendum quod *omne* quod procedit a Deo in diversitate essentiae (ita scilicet ut non sit ejusdem essentiae ac Deus), deficit a simplicitate ejus. Ex hoc autem quod deficit a simplicitate, non oportet quod incidat in compositionem, sicut ex hoc quod deficit a summa bonitate, non oportet quod incidat in ipsam aliqua malitia. Dico ergo quod creatura est duplex : *quaedam enim est quae habet esse completum in se*, sicut homo, (angelus), et hujusmodi, et *talis creatura ita deficit a simplicitate divina, ut incidat in compositionem :* cum enim in solo Deo esse Dei sit sua quidditas, oportet quod in qualibet creatura, vel in corporali vel in spirituali, inveniatur *quidditas* vel natura sua, et *esse* suum quod est sibi acquisitum a Deo cujus essentia est suum esse, et sic componitur *ex esse vel quo est*

et *quod est*. Est etiam quaedam creatura quae non habet esse in se, sed tantum in alio, sicut materia prima, sicut forma quaelibet (excepta rationali), sicut universale : non enim est esse alicujus rei nisi particularis subsistentis in natura ; et *talis creatura non deficit a simplicitate* ita quod sit composita ;..... sed tamen deficit a simplicitate Primi. Et defectus iste perficitur ex duobus : vel quia est divisibile in potentia vel per accidens, sicut materia prima et forma et universale, vel quia est componibile alteri, quod divina simplicitas non patitur » (1 D. 8 q. 5 a. 1 ; col. Boet. de Hebdomad.) (1).

Demum, ex eodem capite demonstrat nullam omnino creaturam esse parem ut Deum viribus suis naturalibus immediate et in se contempletur. « Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. Est autem multiplex modus essendi rerum. Quaedam... quaedam vero sunt quorum naturae sunt per se subsistentes, non in materia aliqua ; quae tamen non sunt suum esse, sed sunt esse habentes. Et hujusmodi sunt substantiae incorporeae, quas angelos dicimus. Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens... Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est suum

(1) V. sup. p. 28-29.

esse, sed habet esse participatum » (1 p. q. 12, a. 4). Scilicet, cum omnis creatura sit composita saltem ex esse et essentia, nihil nisi secundum suum modum, i. e. composite intelligit, ac propterea quod est supra modum simplex et immateriale, naturalem ejus aciem praeterfugit (Cf. 1 p. q. 13 a. 1 ad 3 ; a. 12 ad 3).

CAPUT VI

Multiplex principiorum c. 4 propositorum applicatio.

Non pigebit id in memoriam revocare quod ab initio jam innui, me tot textus non ideo recitare ut res ipse doceam illis contentas et expressas (aliud enim ago); sed ut pateat quam firma sint in doctrina S. Thomae, quamque constanter adhibita principia illa quibus in quaestione speciali de Unione hypostatica post ipsum usuri sumus, nemoque causetur eadem esse, pro necessitate causae, velut ex abrupto excogitata.

Negat S. D. in compositis substantiis aliud *esse* reperiri praeter *esse* compositi, nisi sermo sit de esse secundum quid et accidentali. Quid tamen habeat singulare compositum humanum infra dicetur. « Partes, inquit, non habent proprium esse, sed sunt per esse totius... Esse compositi pertinet ad omnes partes » (III D. 6 q. 2 a. 3). Quapropter in compositis materialibus, qualia bruta sunt, nec materia nec forma suum habent esse proprium, sed existunt per esse totius compositi quod est unum. Alioquin non unum ens haberetur, sed multiplex.

Quod ad humanum compositum speciatim attinet, quia anima humana est per se existens, utpote quae sit spiritualis, est quidem et in ipso unitas *esse*, sed hoc esse non est aliud ac *esse* animae quod corpori naturaliter communicatur, ut sit esse totius compositi. « Dicendum quod anima illud *esse* in quo subsistit, communicat materiae corporali, ex qua et anima intellectiva fit

unum ; ita quod illud *esse* quod est *esse* compositi est etiam animae ipsius : quod non accidit in aliis formis quae non sunt *subsistentes ;* et propter hoc anima humana remanet in suo *esse*, destructo corpore ; non autem aliae formae » (1 p. q. 76 a. 1 ad. 5). « Dicendum quod illud quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi *trahatur* in *communionem illius esse completi*, sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeexistenti : *non tamen accidentaliter*, *quia ad idem esse assumetur*, ut scilicet corpus habeat *esse* vitale per animam ; non est autem sic de albedine (i. e. albedo non trahitur ad esse animae, sicut corpus), quia aliud est *esse* albi, et aliud est *esse* hominis cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim, sive personam ; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad *unum esse* prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae, sed ad unum esse prout est hypostasis et personae. Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei » (3 p. q. 2 a 6 ad 2).

Rursus (II D. 1 q. 2 a. 4), ubi considerat unionem animae cum corpore, objicit sibi animam, quia subsistens est, corpori substantialiter uniri non posse : « quod enim advenit alicui post esse completum est accidens ». Ecce responsum : « Ad secundum dicendum quod, quidquid advenit rei subsistenti, ita quod ipsius adventu *novum esse* constituatur, oportet accidentaliter advenire, quia unius rei non potest esse nisi unum esse essentiale. Unde *aliud esse superveniens erit accidentale* ; sed corpus adveniens animae trahitur in consortium *illius esse a quo anima subsistit*, quia forma *dat suum esse materiae*, *quamvis aliae formae* non possunt subsistere

in illo esse, sicut potest anima ». Et alibi (1 D. 8 q. 5 a. 2 ad 2), eamdem soluturus difficultatem, ait : « Ad secundum dicendum, quod anima sine dubio habet *in se esse perfectum,* quamvis hoc esse non resultet ex partibus componentibus quidditatem ejus ; nec per conjunctionem corporis efficitur ibi aliud *esse :* imo hoc *ipsum esse quod est animae per se*, *fit esse conjuncti* (1). *Esse* enim conjuncti est *esse* ipsius formae. Sed verum est quod aliae formae materiales propter earum imperfectionem non sunt per illud esse (quo anima est), sed sunt tantum principia essendi. Et per hoc etiam patet solutio ad tertium (i. e. non uniri animam corpori accidentaliter, etsi habeat ipsa sibi esse perfectum), quia compositio (cum corpore) quae advenit animae *post* esse completum secundum modum intelligendi, non facit *aliud esse*, quia sine dubio illud esse esset accidentale ; et ideo non sequitur quod homo est ens per accidens ». Et iterum : « Ipsa (anima) habet esse per se, quod non habent aliae formae corporales. Unde in anima invenitur compositio *esse* et *quod est*, *et non in aliis formis*, quia ipsum esse non est aliarum formarum absolute, sed compositi » (1 D. 8 q. 5 a. 2 ad 1). Lege q. de Anima a. 1 et maxime II c. Gent. c. 68-69.

Quamobrem, ut composita substantialia sint ens et

(1) Illi D. Thomae interpretes quibus esse compositi vel hypostasis et suppositi quod unum ubique praedicat S. Doctor, aliud est ac *esse existentiae*, hoc textu manifeste revincuntur. Non loquitur enim S. Thomas de esse nescio quo suppositi, cum anima cujus est illud *esse perfectum* ipsa non sit suppositum; non loquitur de esse naturae, quod in anima est imperfectum, et per unionem corporis complendum. Restat igitur ut esse sit existentia. Jamvero, teste S. Doctore, istud esse animae fit esse corporis et compositi ; quod ni fieret, accidentalis esset compositio. Ergo tunc solum datur unio substantialis, cum una est existentia compositorum. Et haec vel similis animadversio quadrat in alios omnes textus hoc capite recitandos.

unum simpliciter et per se, non accidentaliter et secundum quid, oportet quod sit unum *esse* compositi. Hoc autem interest inter humanum compositum et alia, quod in his, quia formae non subsistunt, esse per quod existit compositum, solum compositum habeat pro subjecto, dum in illo, quia anima per se existit, esse compositi est ipsummet esse animae communicatum materiae seu corpori, ut totum existat per hoc et unum esse.

Ex diversa porro ratione quâ alia et alia composita substantialia consequuntur *unum esse,* colligitur etiam composita aliter et aliter *fieri*, aliter et aliter *desinere*, quod ad formam attinet.

Aliter, *inquam*, *desinunt :* siquidem anima rationalis permanet separata; caeterae vero formae, nequaquam. « Dicendum quod illud quod proprie corrumpitur, non est forma neque materia, sed ipsum compositum. Dicitur autem *esse* corporis corruptibile, in quantum corpus deficit ab illo esse quod erat sibi et animae commune, quod remanet in anima subsistente. *Et pro tanto etiam dicitur ex partibus consistere esse corporis,* quia ex suis partibus corpus constituitur tale, ut possit ab anima *esse* recipere » (de Anima a. 1 ad 14). Et alibi : « Non est necessarium, si anima manet, corpore destructo, quod fuerit ei accidentaliter unita, ut quarta ratio proponebat. Accidens enim describitur quod potest adesse vel abesse praeter corruptionem subjecti compositi ex materia et forma. Si autem referatur ad principia compositi subjecti, verum non invenitur. Constat enim materiam primam ingenitam et incorruptibilem esse, ut probat Aristoteles in I Physic. (text. com. 82). Unde, recedente forma, manet in sua essentia. Non tamen forma ei accidentaliter uniebatur, sed *essentialiter :* uniebatur enim

ei *secundum esse unum*, ut supra ostensum est. Unde, licet maneat post corpus, *substantialiter* tamen ei unitur, non *accidentaliter*. Quod autem materia prima remaneat actu post formam, non est nisi secundum actum alterius formae ; anima autem humana manet *in eodem actu*. Et ex hoc contingit quod anima humana est forma et actus ; materia autem prima potentiâ ens » (c. Gent. L. II, c. 81).

Et iterum atque iterum : « Necesse est ponere substantiam animae rationalis esse incorruptibilem. Si enim corrumpitur, ant corrumpitur per se, aut per accidens. Per se quidem corrumpi non posset, nisi esset composita ex materia et forma contrarietatem habente... Per accidens etiam corrumpi non potest, nisi poneretur *quod non haberet esse per se*, sed solum *esse cum alio*, sicut est de aliis formis materialibus quae proprie non *habent esse subsistens*, sed sunt per esse compositorum subsistentium, quorum sunt partes : et sic per accidens corrumpuntur, corruptis compositis. Hoc autem de anima rationali dici non potest. Nam quod non habet per se esse impossibile est quod per se operetur ; unde etiam aliae formae non operantur, sed composita per formas. Anima autem rationalis per se habet operationem, quam exercet nullo organo corporeo mediante, scilicet intelligere » (Quodl. 10 a. 6).

Ibidem sibi objecerat tertio loco : « Praeterea, hominis compositi ex corpore et anima est *quoddam esse*. Aut ergo praeter *hoc esse* anima habet aliud *esse*, aut non. Si habet aliud *esse, ergo compositio advenit animae post esse completum ;* ergo hujusmodi compositio est animae accidentalis ; et sic homo non erit ens per se, sed ens per accidens : quod est inconveniens. Si au-

tem non habet aliud esse anima praeter esse compositi, ergo postquam deficit esse compositi, anima esse non potest. Sed in morte corporali deficit esse compositi. Ergo anima post mortem corporis non remanet ». Respondet : « Ad tertium dicendum quod anima *esse suum communicat* corpori ; quod quidem ita acquiritur animae in corpore, ut secundum ipsum subsistere possit ; quod non est de aliis formis ; et sic ipsum esse animae fit esse compositi, et tamen manet, composito destructo ». Cf. insuper 1 p. q. 75 a. 6 ; 1. 2. q. 4 a. 5 ad 2 ; de Anima a. 14 ; c. Gent. L. II c. 79-83, etc.)

Itaque unius compositi unum est esse substantiale. Corrupto autem composito, corrumpitur anima bruti, non corrumpitur anima hominis. Ratio porro discriminis est quod compositum humanum existit per esse animae corpori et composito communicatum ; compositum autem quodvis ab humano diversum, per esse proprium soli composito, non animae bruti quae non sua sed una existentia totius existit. Ex quo fit, ut deficiente composito, nullam ipsa retineat existentiam, in omnique substantia corporea sit unum esse substantiale.

Aliter et aliter composita secundum formas generantur: aliorum enim formae per se non fiunt; aliorum, hominum nempe, formae creantur. « Multis error accidit circa formas, ex hoc quod de eis judicant, sicut de substantiis judicatur : quod quidem ex hoc contingere videtur quod formae per modum substantiae signantur in abstracto, ut albedo, vel virtus, aut aliquid hujusmodi : unde aliqui modum loquendi sequentes, sic de eis judicant ac si essent substantiae. Et ex hinc processit error tum eorum qui posuerunt latitationem formarum, quam eorum qui posuerunt formas

esse a creatione. AEstimaverunt enim quod formis competeret fieri sicut competit substantiis: et ideo non invenientes ex quo formae generantur, posuerunt eas *vel creari vel praeexistere in materia:* non attendentes quod sicut *esse* non est formae sed subjecti per formam (1), ita nec fieri quod *terminatur ad esse, est formae, sed subjecti.* Sicut enim forma ens dicitur non quia *ipsa sit*, si proprie loquamur, sed quia aliquid eà est; ita et forma fieri dicitur, non quia *ipsa fiat*, sed quia eâ aliquid fit »... (de Virt. in comm. a. 11). Ergo formae materiales et animae sensitivae neque per se fiunt neque creantur. « *Ab hac autem generalitate* formarum oportet excludere *animam rationalem.* Ipsa enim est substantia *per se subsistens:* unde *esse suum* non consistit tantum in hoc quod est materiae uniri, alias separari non posset; quod falsum esse etiam ejus operatio ostendit, quae est animae secundum seipsam, absque corporis communione. Nec potest aliter operari quam fit. Quod enim per se non est, per se non operatur..... Esse autem hujusmodi animarum (sensibilium scilicet) non potest consistere nisi in unione ad corpus: quod earum operationes ostendunt, quae sine organo corporali esse non possunt... Propter hoc nec a corpore separari possunt, nec iterum in esse produci, nisi quatenus producatur corpus in esse. Unde, sicut producitur corpus per actum naturae generantis, ita et animae praedictae » (de Pot. q. 3 a. 11). « Adhuc, secundum quod aliquid habet esse de novo, sic de novo competit ei fieri: nam ejus est fieri cujus est esse; ad hoc enim

(1) Per formam, inquam, quae complet subjectum ut sit idoneum esse recipiendo, et sic est essendi principium, ut sup. p. 30 explicatum est.

aliquid fit, ut sit. Eis igitur quae secundum se habent esse, competit per se fieri, sicut rebus subsistentibus; eis autem quae per se non habent esse, non competit per se fieri, sicut accidentibus et formis materialibus. Anima autem rationalis secundum se habet esse, quia secundum se habet operationem, ut ex dictis patet. Animae igitur rationali secundum se competit fieri. Cum igitur non sit composita ex materia et forma, ut supra ostensum est, sequitur quod non possit educi in esse nisi per creationem » (Comp. Theol. c. 93; coll. c. Gent. L. II c. 87; 1 p. q. 118 a. 1 et 2; Quodl. 12 a. 10; II D. 1. q. 1 a. 4 ad 4, etc.).

Humana igitur anima producitur in esse per creationem, quia subsistens est, id est, quia suum esse sibi proprium habet quod ipsum corpori communicat; anima vero bruti non creatur, sed educitur in esse per hoc quod compositum generationem terminat, quia non aliter existit quam in composito vivo cujus est pars, cujusque solius est esse.

Ex iisdem principiis de unitate entis et esse probat S. Thomas formas substantiales in uno numero ente nunquam multiplicari. Cum enim esse consequatur formam, significatione superius declarata (1), per hoc quod una forma substantialis est in composito, hoc compositum jam habet esse, atque ideo est ens unum, ens simpliciter. Quare forma quae superveniet, forte dabit esse, sed accidentale.

Erant qui animam rationalem a sensitiva distinguebant, cujus opinionis fuerat Apollinaris, ponentis in Christo Verbum loco mentis: « Hoc, inquit, non potest

(1) Sup. p. 39-40.

stare, *quia ex diversis actu existentibus* (id est, habentibus actum existendi) *non fit aliquid unum per se :* quia si de aliquo subjecto praedicentur aliqua secundum diversas formas per se, unum illorum praedicatur de altero per accidens, sicut de Socrate dicitur album secundum albedinem, et musicum secundum musicam : unde musicum de albo accidentaliter praedicatur. Si igitur Socrates dicatur homo et animal secundum aliam et aliam formam, sequeretur quod haec praedicatio, homo est animal, sit per accidens, et quod homo non sit vere id quod est animal » (de Anima a. 11). Et Quodlib. 12 a. 9) : « Dicendum quod in nullo corpore est nisi una forma substantialis : cujus ratio est triplex. Prima est, quia, si plures, sequens non erit forma substantialis quae *facit esse simpliciter*, sed solum accidentalis quae facit esse hoc... Item, quia non esset compositum ex anima et corpore unum simpliciter, sed duo simpliciter et unum per accidens ». Et alibi (q. de Spirit. Creat. a. 3) : « In hoc consistit ratio accidentis quod sit in subjecto, ita tamen quod per subjectum intelligatur aliquod ens actu et non in potentia tantum ; secundum quem modum forma substantialis non est in subjecto sed in materia. Cuicumque ergo formae substernitur *aliquod ens actu quocumque modo*, illa forma est accidens. Manifestum est autem quod quaelibet forma substantialis, quaecumque sit, facit ens actu et constituit. Unde sequitur quod sola prima forma quae advenit materiae, sit substantialis : omnes vero subsequenter advenientes sint accidentales. Nec hoc excluditur per hoc quod quidam dicunt *quod prima forma est in potentia ad secundam : quia omne subjectum comparatur ad suum accidens ut potentia ad actum.* Completior etiam esset forma quae

praestaret susceptibilitatem vitae quam illa quae non praestaret. Unde, si forma corporis inanimati facit ipsum esse subjectum, multo magis forma corporis potentia vitam habentis facit ipsum esse subjectum : et sic anima esset forma in subjecto : quod est ratio accidentis. »

Idem revolvit S. Doctor in Summa (1 p. q. 76). Et primo quidem, probat non esse plures animas in homine : « Quia animal non esset simpliciter unum, cujus essent animae plures. Nihil enim est simpliciter unum nisi per *formam unam per quam habet res esse* : ab eodem enim habet res quod sit ens, et quod sit una ; et ideo ea quae denominantur a diversis formis, non sunt unum simpliciter, sicut homo albus » (l. c. a. 3). Negat (a. 4) aliam in homine formam inveniri praeter rationalem : « Ad cujus evidentiam considerandum est quod forma substantialis in hoc a forma accidentali differt, quia forma accidentalis non dat *esse simpliciter*, sed esse tale... Et ideo, cum advenit forma accidentalis, non dicitur aliquid fieri vel generari simpliciter, sed fieri tale aut aliquo modo se habens ; et similiter, cum recedit forma accidentalis, non dicitur aliquid corrumpi simpliciter, sed secundum quid. Forma autem *substantialis dat esse simpliciter* ; et ideo per ejus adventum dicitur aliquid simpliciter generari, et per ejus recessum simpliciter corrumpi. Et propter hoc antiqui naturales qui posuerunt materiam primam esse aliquod ens actu, puta ignem, aerem, aut aliquid hujusmodi, dixerunt quod nihil generatur aut corrumpitur simpliciter ; sed omne fieri statuerunt alterari, ut dicitur I. Physic. (text. 33). Si igitur ita esset quod praeter animam intellectivam *praeexisteret* quaecumque alia forma substantialis in materia, per quam subjectum animae *esset ens actu* ; se-

queretur quod anima non daret esse simpliciter, et per consequens quod non esset forma substantialis, et quod per adventum animae non esset generatio simpliciter, neque per ejus recessum corruptio simpliciter, sed solum secundum quid : quae sunt manifeste falsa... » Cf. etiam Comp. Theol. c. 90, sqq. et II c. Gent. c. 58.

Eadem necessitas unius esse substantialis in causa etiam est, cur « formae praecedentes corrumpantur per adventum animae... Nam omnis forma adveniens existenti in actu est forma accidentalis... Dicendum quod impossibile est in uno et eodem esse plures formas substantiales ; et hoc ideo quia ab eodem habet res esse et unitatem. Manifestum est autem quod res habet esse per formam ; unde et per formam res habet unitatem : et propter hoc, ubicumque est multitudo formarum, non est unum simpliciter, sicut homo albus non est unum simpliciter... unde dico quod, adveniente anima humana, tollitur forma substantialis quae prius inerat... » Quodl. 1 a. 6.

Hinc intelligere quoque est quomodo, ex mente S. Doctoris, nec materia prima nec forma substantialis, excepta rationali, possunt existere seorsum. Non potest, inquam, materia prima. « Dicendum quod materia prima non existit in rerum natura per seipsam, cum non sit ens actu sed potentia tantum : unde magis est aliquid concreatum (scilicet creatum per hoc quod creatur compositum cujus est), quam creatum » (1 p. q. 7 a. 2 ad 3). Ratio duplex est : prima, quod forma dat esse. Quare materia prima non potest esse susceptiva *esse*, nisi per formam et in composito. Altera, quod si materia reciperet esse, jam esset ens completum, ens per se ; ac proinde quaecumque forma accederet, accidentalis esset,

utpote quae reciperetur in *subjecto* praeexistente. Insuper, materia est in potentia ad actum duplicem substantialem : ad actum formae scilicet et ad actum essendi; cum hoc tamen ordine quod ipsa per seipsam actuetur forma, actuetur vero esse per suam unionem ad formam in una natura composita.

Haec S. Thomas ubi quaerit, utrum creatio materiæ informis praecesserit duratione creationem rerum formatarum ? « Talis materia non potest in rerum natura existere quin aliquà formà formetur. Quidquid enim in natura rerum invenitur, *actu existit :* quod non habet materia prima nisi per formam quae est actus ejus : unde non habet sine forma in rerum natura inveniri » (de Pot. q. 4 a. 1). Et (1 p. q. 66 a. 1) : « Si materia informis praecessit duratione, haec erat jam in actu : hoc enim creatio importat. Creationis enim terminus est ens in actu ; ipsum autem quod est actus, est forma. Dicere igitur materiam praecedere sine forma est dicere ens actu sine actu : quod implicat contradictionem. Nec etiam potest dici quod habuit aliquam formam communem, et postmodum supervenerunt ei formae diversae quibus sit distincta : quia hoc esset idem cum opinione antiquorum naturalium qui posuerunt materiam primam esse aliquod corpus actu, puta ignem, aerem aut aquam aut aliquod medium. Ex quo sequebatur quod fieri non esset nisi alterari ; quia cum illa forma praecedens daret esse actu in genere substantiae, et *faceret esse hoc aliquid*, sequebatur quod superveniens forma non faceret simpliciter ens actu, sed ens actu *hoc*, quod est proprium formae accidentalis ». De eodem argumento conferatur etiam Quodlib. 3 a. 1.

Neque potest existere seorsim forma materialis : nam,

uti supra dictum est, non existit ipsa per suum esse, sed per esse totius, nec est ipsa susceptiva *esse*, sed consortio sui dat compositae naturae ut sit susceptiva actus essendi. Relege quae superius p. 39-40 hac de re disputata sunt.

Ex iisdem principiis de unione substantiali S. Doctor explicat etiam quid differat forma substantialis ab accidentali, quaeque sit propria accidentis ratio. « Forma substantialis et accidentalis partim conveniunt et partim differunt. Conveniunt quidem in hoc quod utraque est actus, et secundum utramque aliquid est quodammodo in actu. Differunt autem quia forma *substantialis facit esse simpliciter* et ejus *subjectum est ens in potentia* tantum (i. e. materia prima) ; forma autem accidentalis non facit *esse simpliciter*, sed *esse tale*, aut tantum, aut aliquomodo se habens ; *subjectum enim ejus est ens actu* » (1 p. q. 77 a. 6.). V. sup. p. 59-60.

Recurrunt illa principia cum explicandum est, cur in anima separata non remaneant potentiae sensitivae. Anima, inquit, *sensitiva* per se non operatur, quia *per se non est*. Est igitur operatio compositi. Ergo, soluto composito, non manet vis sentiendi, sicut neque manet anima sensitiva. Manet autem anima nostra, quae spiritualis est ; et, quia non alia et alia est apud nos anima sensitiva et anima spiritualis, hac manente, manet et illa ; sed ita tamen ut qua sensitiva non possit operari, propterea quod potentiae sensitivae, quantumvis ab anima fluant sicut a principio, sunt tamen in composito sicut in subjecto. « Manifestum est quod unumquodque secundum hoc operatur secundum quod est ens. Unde quae per se habent esse per se operantur, sicut individua substantiarum. Formae autem quae per se non possunt

esse, sed *dicuntur entia in quantum eis aliquid est.* non habent per se operationem, sed dicuntur operari in quantum per eas subjectum operatur... Si ergo anima sensitiva haberet per se operationem, sequeretur quod *haberet per se subsistentiam*, et sic non corrumperetur, corrupto corpore : unde etiam brutarum animae essent immortales... Manifestum est igitur quod nulla operatio partis sensitivae potest esse animae tantum ut operetur, sed est compositi per animam, sicut calefactio est calidi per calorem. Compositum igitur est videns, et audiens et omnia sentiens, sed per animam. Unde etiam compositum est potens videre, audire et sentire, sed per animam. Manifestum est ergo quod potentiae partis sensitivae sunt in composito sicut in subjecto, sed sunt in anima sicut a principio. Destructo igitur corpore, destruuntur potentiae sensitivae, sed remanent in anima sicut in principio » (De Anima a. 19).

Intelligitur etiam cur animam rationalem, non secus ac angelos, dicat compositam ex quo est et quod est ; non item animam inferiorem et formam materialem. Causam inde sumit quod anima spiritualis habet suum esse proprium quod ipsa composito communicat, dum formae reliquae non existunt nisi in compositis ad quae pertinent, et per esse compositorum. Cf. L. II c. Gent. c. 54 ; I D. 8 q. 5 a. 2, etc.

Inde tandem confutat opinionem quorumdam theologorum qui, cum negarent, duce Magistro Sententiarum, charitatem esse creatum animae habitum, aiebant : « Quod Spiritus sanctus, prout in se consideratur, Spiritus S. et Deus dicitur. Sed prout consideratur in anima quam movet ad actum charitatis, dicitur charitas. Dicunt enim quod sicut Filius univit sibi naturam huma-

nam solus, quamvis ibi sit operatio totius Trinitatis, ita *Spiritus S. solus unit sibi voluntatem*, quamvis ibi sit operatio totius Trinitatis. Sed hoc, inquit S. Doctor, non potest stare, quia unio naturae humanae in Christo terminatur ad *unum esse personae divinae, et ideo idem actus* (*essendi*) *numero est personae divinae et naturae assumptae ; sed voluntas* alicujus sancti non assumitur in unitatem suppositi Spiritus sancti » (I D. 17 q. 1 a. 1). Alio autem in loco (II D. 26 q. 1 a. 2) demonstrat gratiam et charitatem esse accidentia, quoniam adveniunt animae jam existenti. « Oportet, inquit, quod gratia sit forma animae, et cum adveniat post esse completum, de necessitate erit accidens » Cf. I D. 179. 1 a. 2.

Demum his omnibus de esse praesuppositis, generatim intelligitur cur et quomodo sit in creaturis esse quoddam accidentale. Quod quidem, etsi jam satis pateat, hoc unum saltem accipias ex Opusc. in Boet. de Hebdom. lect. 2 : « Considerandum est quod, ex quo *id quod est* potest aliquid habere praeter suam essentiam, necesse est quod in eo consideretur duplex esse. Quia enim forma est principium essendi, necesse est quod secundum quamlibet formam habens aliqualiter *esse* dicatur. Si ergo forma illa non sit praeter essentiam habentis, sed constituat ejus essentiam, ex eo quod habet talem formam, dicetur habens esse simpliciter, sicut homo ex hoc quod habet animam rationalem. Si vero sit talis forma quae sit extranea ab essentia habentis eam, secundum formam illam non dicitur esse simpliciter, sed esse aliquid, sicut secundum albedinem homo dicetur esse albus ». Porro, nihil obstat quod esse accidentale, salva unitate entis, multiplicetur, ut unus et idem homo simul et semel *sit* doctus, *sit* prudens, *sit* albus, *sit* justus, et

ita porro (3 p. q. 17 a. 2) : ubi vides, illud *esse* non esse formarum accidentalium, perinde ac si accidentia constarent et ipsa essentia et esse, sed subjecti secundum formas. Aliquid tamen singulare prae se ferunt accidentia eucharistica. Audi rursus S. Thomam (3 p. q. 77 a. 1 ad. 4). Objiciebatur accidentia post consecrationem non manere sine subjecto, quia cum non sint composita ex materia et forma, neque ex quo est et quod est, ideo forent simpliciora quam angeli : quod est inconveniens. « Ad quartum dicendum quod accidentia hujusmodi, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa *esse*, sicut nec alia accidentia, sed subjecta eorum habebant hujusmodi *esse* per ea, sicut nix est alba per albedinem ; sed post consecrationem ipsa accidentia quae remanent, habent esse : unde sunt composita *ex esse* et *quod est*, sicut in prima Parte (q. 50 a. 2 ad. 3) de angelis dictum est, et cum hoc habent compositionem partium quantativarum ». Hactenus de principiorum applicatione : ex quo perspicuum erit eadem principia, cum ad unionem hypostaticam transferentur, non modo propter necessitatem causae particularis inventa non fuisse, quod jam monui, sed etiam ferre sensum omnino clarum, eumdemque fundamentis quae ratio approbet, firmiter innixum.

CAPUT VII

Conceptuum personae et hypostasis expolitio.

Superest ut ad primariam nostram quaestionem propius accedentes conceptum hypostaseos et personae secundum Angelici doctrinam explicemus. Et quidem tantum in illo conceptu rite declarando positum est momentum, ut, si in eo erretur, puta si notio personae cum notione naturae vel essentiae commisceatur, tota professio fidei circa mysterium utrumque Trinitatis et Incarnationis in certum discrimen adducatur. « Nestorius, qui posuit duas in Christo personas, ex hoc deceptus fuit, ut dicit Boetius in L. de Duabus Naturis, quia credidit *idem* esse personam et naturam : unde credidit, cum sint duae naturae in Christo, quod sint duae personae ; et ex eodem errore processit error Eutychetis, qui, cum audivit unam personam in Christo, aestimavit unam naturam. Et ex eodem fonte contra Trinitatem processit error Arii et Sabellii » (III D. 5 q. 1 a. 3) : nam uterque nonnisi unam personam proprie divinam admisit, cum hoc tamen discrimine quod Sabellius eamdem illam nomine Patris, Filii et Spiritus sancti pro triplici functione significaret, dum Arius, divisis numero personis, soli Patri naturam divinam adscripserit. Inde communis illa SS. Patrum affirmatio, « hoc demum esse quod haereticis errandi causa est, quod naturam et hypostasim esse idem statuant », ut loquitur S. J. Damasc. (de Fid. orthod. L. III c. 3).

Porro notio personae quatuor fere modis tradita re-

peritur apud S. Doctorem : qui tamen modi non re sed verbis solum differunt, uti mox patebit. Et primo quidem, personam, duce Boetio (L. de Persona et de Duabus Naturis c. 2), definit : « individuam rationalis naturae substantiam ». *Substantiam* ait, prout substantia contradistinguitur ab iis omnibus quorum est alii inesse tanquam subjecto, scilicet ab accidentibus.

At substantia dicitur prima et secunda. « Philosophus ponit substantiam dici dupliciter : dicitur enim uno modo substantia ipsum subjectum primum quod non praedicatur de alio, et hoc est particulare in genere substantiae ; alio modo dicitur substantia forma vel natura subjecti. Hujus autem distinctionis ratio est, quia inveniuntur plura subjecta in una natura convenire, sicut plures homines in una natura hominis » (de Pot. q. 9 a. 1). Itaque, substantia prima est substantia singularis, ut *haec* humanitas, *hic* homo ; substantia vero secunda est natura communis, seu speciei, praecisis characteribus individualibus, ut humanitas. Cum ergo persona non sit quid universale, pluribus inexistens, sed aliquid singulariter indivisum et a caeteris distinctum, additur in definitione : *individua*, seu singularis. Verum, *individuatio* gradus habet alios aliis perfectiores. Et sane, singularis est essentia divina : quae tamen eadem numero pluribus relatione distinctis, Patri, Filio et Spiritui sancto, communicatur. Deficit igitur a summa individuationis ratione, nec simpliciter est individua, sed tantummodo secundum quid, comparata saltem ad intra. Singularis est anima humana, sive corpori conjuncta sit sive separata ; singularis etiam humana natura Christi : animam tamen etiam ex ratione, humanitatem vero Christi ex fide novimus e censu personarum eliminan-

dam. Et ipsae deficiunt ab omnimoda individui plenitudine, cum una communitatem vel certe communicabilitatem partis habeat; altera, assumptibilis ad divinam personam, cui facta propria est. Quamobrem in definitione personae vox *individua* debet accipi secundum plenissimam nominis significationem, quasi diceretur: substantia quae ita in se consistit, ut neque ratione neque re pluribus inter se distinctis communis existat, seu neque de pluribus praedicari possit, ac insuper ut alteri tanquam pars aut secundum analogiam quamdam partis non adhaerescat.

Quod additur: *rationalis naturae*, eo tendit ut conceptus personae a conceptu suppositi quem includit, secernatur. Suppositum enim intelligimus substantiam *simpliciter* individuam, quaecumque demum illa sit; personam vero, substantiam eamdem sed ratione seu intellectu praeditam.

Sed jam audiendus est S. Thomas: « Per hoc quod dicitur *substantia*, excluduntur a ratione personae accidentia, quorum nullum dici potest persona; per hoc quod dicitur *individua*, excluduntur genera et species in genere substantiae, quae etiam personae dici non possunt; per hoc vero quod additur *rationalis naturae*, excluduntur inanimata corpora, plantae, bruta, quae personae non sunt » (de Pot. q. 9 a. 2). Quod si quis exceperit hanc interpretationem esse diminutam, cum non ea sit quae vel divinae essentiae, vel animae nostrae, vel humanitati Christi rationem personae deneget, accipiat ex eodem loco declarationem uberiorem. « Dicendum quod individuum in definitione personae sumitur pro eo quod non praedicatur de pluribus; et secundum hoc essentia divina non est individua substantia

secundum praedicationem, cum praedicetur de pluribus personis, licet sit individua secundum rem » (de Pot. ib. ad 12). Hactenus de divinitate. Nunc de humana Christi natura (ib. ad 13) : « Cum substantia *individua* sit quoddam completum per se existens, humana natura in Christo, cum sit assumpta in personam divinam, non potest dici substantia individua quae est hypostasis ; sicut nec manus nec pes, nec aliquid eorum quae non subsistunt per se ab aliis separata ; et propter hoc non sequitur quod sit persona ». Tandem (ib. ad 14), notat quod, cum « anima separata sit pars rationalis naturae, scilicet humanae, et non tota natura rationalis humana », propterea nec est sensu plenissimo individua, nec proinde persona.

Hoc ipsum sub alia forma dixerat in expositione boetianae definitionis (III D. 5 q. 2 a. 1 ad 2) : « Dicendum quod triplex incommunicabilitas est de ratione personae : scilicet partis, secundum quod est quid completum ; et universalis, secundum quod est quid subsistens ; et assumptibilis, secundum quod id quod assumitur, transit in personalitatem alterius, et non habet propriam personalitatem : non est autem contra rationem personae communicabilitas assumentis ». Et alibi (1 D. 25 q. 1 a 1 ad 7) : « De ratione personae est triplex incommunicabilitas, scilicet qua privatur communitas universalis, et qua privatur communitas particularis (partis) quam habet in constitutione totius, et qua privatur communitas assumptibilis conjuncti rei digniori, prout dicimus quod natura humana non est persona in Christo ». Et haec quidem sunt quae nomine *individua* continentur et significantur. Quibus positis, manifestum est definitionem superius datam toti solique definito convenire.

Gradum ad aliam definitionem faciamus. Porro sic illa effertur, ut persona sit aliquid *subsistens distinctum rationalis naturae*. « Persona divina significat subsistens distinctum in natura divina, sicut persona humana significat subsistens distinctum in natura humana » (de Pot. q. 9 a. 4 ; col. 1 p. q. 29 a. 4). Significat, inquit, aliquid subsistens, i. e. existens in se et per se : quo verbo removentur et accidentia quae non existunt in se, sed subjectis insunt ; et partes compositorum quae nonnisi in composito et per esse compositi existunt ; imo et anima humana quae, licet habeat in se suum esse, plene tamen non subsistit, uti supra (1) notatum est, et ideo certo quodam sensu dici potest non subsistere (III D. 5 q. 1 a. 3) ; et universalia, genera scilicet et species, quae non in se existunt, sed in singularibus ; et ipsa demum humana natura Christi quae, per assumptionem ad Verbum, in Verbo, non autem in se seorsum existit. Significat subsistens *distinctum* : et hoc valet ut a ratione personae semoveantur tum anima humana, si dicatur, ut solet, subsistere, cum natura sua ordinetur ad unionem ; tum essentia divina quae non solum subsistit, sed est ipsummet Esse subsistens : neque enim existit separatim a tribus relativis quibuscum identice communicatur. « Nomen enim personae non designat hoc solum quod est subsistere, quod videtur ad essentiam pertinere, sed etiam hoc quod est distinctum esse et incommunicabile, quod est propter proprietates relativas in divinis » (de Pot. q. 9 a. 6 ad 3).

Tertia definitio hac explicatione continetur : « Substantia individua quae ponitur in definitione personae,

(1) V. Sup. p. 13.

importat substantiam, completam, per se subsistentem separatim ab aliis » (3 p. q. 16, a. 12 ad 2). Itaque conceptus personae quinque notis absolvitur. Est substantia, non accidens ; est substantia completa, non pars alicujus naturæ ; est substantia subsistens, non existens in alio ; est substantia subsistens separatim ab aliis, et ideo non universalis aut habens modum quemdam universalis, pluribusque communis. Adde pro quinta nota quod debeat esse substantia intellectiva. Hoc ipsum est quod significavit S. Thomas aut quisquis est auctor Quaestionis de Unione Verbi Incarnati (1), cum ait (a. 2 ad 3) : « Ad rationem hypostasis non sufficit quod aliquid sit particulare in genere substantiae (particulare, inquit, i. e. distinctum ab alio quolibet et nulli communicatum), sed ulterius requiritur quod sit perfectum et in se subsistens ».

Et haec quidem definitio convenit etiam toti et soli definito. Convenit, inquam, toti : in creatis, homini Petro, et angelo Raphael ; in divinis, Patri, Filio et Spiritui sancto. « Dicendum quod hoc quod facit conjunctum ex corpore et anima esse hominem, non est praeter animam, corpus et unionem aliquid positive ; sed ex hoc ipso quod ipsum compositum ex anima et corpore non adjungitur alteri *subsistenti in natura composita*, sequitur quod compositum sit homo » (III D. 6 q. 1, a. 2 ad 5 ; col. ad 3). « Ideo in puris hominibus hoc accidit (nempe quod, unita semel anima corpori, resultet persona), quia anima et corpus sic in eis conjunguntur, *ut per se existant* » (3 p. q. 2, a. 5 ad 1 ; col. a. 2 ad 2). Hinc humana Christi natura propriam personali-

(1) V. notam. inf. L. II c. 4, p. 104, sqq.

tatem non habet, licet « sit quoddam individuum in genere substantiae, quia non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Dei Verbi » (3 p. q. 2, a. 2 ad 3 ; col. ad 1 et 2). Quaerenti vero de anima humana quae suum esse proprium habet et est rationalis ac singularis, cur ipsa persona dicenda non sit, respondet iterum atque iterum S. Doctor hoc ideo fieri, quia « ratio partis contrariatur rationi personae » ; quamvis autem anima « separata non sit pars actu, tamen habet naturam ut sit pars » (III D. 5, q. 3, a. 2 ; col. 1 p. q. 29, a 1 ad 5). Denique, neque naturae divinae per se sumptae competit ratio personae, quia sic in se subsistit ut non sit distincta : quandoquidem in divinis nulla realis distinctio datur nisi per relationes ac inter relativos (1 p. q. 29, a. 4). Et sic patet definitionem hanc ultimam, non secus ac alias, ut toti, sic etiam soli definito congruere.

Hic occurrit animadversio gravis momenti facienda. Frequens auctores quibuscum de natura hypostasis et unionis hypostaticae disputamus, quaerunt, ad refutandum scilicet, utrum subsistentia seu personalitas, quas duas voces promiscue satis usurpant, i. e. ultima forma personae, sit existentia. Nihil ejusmodi diximus ex S Thoma, nec dicemus unquam : cum et anima humana suam existentiam habeat, et divinitas sit suum esse, quin tamen haec vel illa sit persona. Concedimus quidem ea subsistere quae sub suo esse sunt proprio ; sed ut habeant eadem rationem hypostasis et personae, alia duo requiruntur, nimirum ut sint essentiae seu naturae completae, et distinctis pluribus re vel ratione communia non sint, ut fert definitio statim declarata. Quo sensu scripsit S. Thomas : « Forma significata nomine per-

sonae non est natura absolute... Sed nomine personae significatur formaliter incommunicabilitas, sive *individualitas subsistentis* in natura » (de Pot. q. 9 a. 6 ; col. ad. 3.)

Quartâ formâ definitionis quam S. Thomas iis in locis adhibet, in quibus de unione hypostatica speciatim disputavit, hypostasis proponitur sub ratione substantiae totius in se. « Haec nomina, inquit, persona, hypostasis, suppositum, integrum quoddam designant » (Comp. theol. c. 211). « Persona enim est completissimum in genere substantiae » (c. Gent. IV c. 38). Quare, nullum accidens, cum indigeat subjecto cui insit, persona dici potest. At nec rationes universales, ut humanitas : significantur enim ut *pars* formalis subjectorum in quibus solis existunt ; et ideo « non praedicantur de subjectis : non enim dicitur quod Socrates est sua humanitas » (de Pot. q. 9 a. 1). Similiter partes substantiae, sive essentiales illae sint, sive tantum integrantes, respuit conceptus personae, cum inter se pugnent aliquid esse partem, et idipsum esse totum. Et si quis opposuerit animam separatam existere ut *hoc aliquid* in se terminatum ; « dicendum quod anima rationalis dicitur hoc aliquid etiamsi habeat rationem partis : sed ad rationem personae exigitur ulterius quod sit totum et completum... Persona habet rationem completi et totius ; sed anima est pars ; ergo non est persona » (III D. 5 q. 3 a. 2 ad 3 et in corp.). Cur autem et quomodo humanitas Christi deficiat a ratione personae, per hoc quod deficiat a ratione totius, infra declarandum est. Interim causam illam accipias subindicatam in III D. 5 q. 3 a. 3 : « Est contra rationem personae quod trahatur ad aliquid se completius, quia persona importat maximam completio-

nem ». Et iterum : « Dicendum quod hypostasis significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed prout est in suo complemento : secundum vero quod venit in unionem alicujus magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus vel pes » (3 p. q. 2 a. 3 ad 2). Et has quidem loquendi sentiendique rationes omnes et singulas a Patribus acceptas esse deinde pluribus ostendemus.

Nota denique quod apud S. Thomam, non secus ac apud alios veteris scholae theologos, persona se habet ad suppositum et ad hypostasim ut species ad genus. Quaelibet enim persona est hypostasis et suppositum, non vice versa ; sicut homo quilibet est animal, non item omne animal, homo. Quod enim hypostasis et suppositum « significant communiter in toto genere substantiarum, hoc nomen persona significat in genere rationabilium substantiarum » (1 p. q. 29 a. 2). Quanquam apud Graecos, ut ibidem ad primum notatur, hypostasis « ex usu loquendi habet quod sumatur pro individuo rationalis naturae, ratione suae excellentiae ». Caeterum, cum agitur de rationalibus entibus, haec nomina, duce S. Doctore, promiscue satis usurpari solent.

CAPUT VIII

De comparatione seu de habitu naturae et essentiae, cum universalis tum singularis, ad hypostasim et personam.

Haec comparatio, auctore S. Thoma, non eadem est, cum agitur de homine, de angelo seu puro spiritu creato, et de Deo. Singulam quamque comparationem declarat S. Doctor, nec semel tantum, sed multoties, ut de ejus mente nihil dubii superesse possit.

Et primo quidem, ipsum audiamus de ente composito quod sumus nos, disserentem :

« Philosophus, inquit (in V Metaph.), ponit substantiam dupliciter dici : dicitur enim uno modo substantia ipsum subjectum ultimum quod non praedicatur de alio ; et hoc est particulare (individuum) in genere substantiae (puta, hic homo Petrus, Joannes) ; alio modo substantia dicitur forma, vel natura subjecti. Hujusmodi autem distinctionis ratio est, quia inveniuntur plura subjecta in una natura convenire, sicut plures homines in una natura hominis. Unde oportuit distingui quod est unum ab eo quod multiplicatur : natura enim communis est quam significat definitio indicans *quid* est res ; unde ipsa natura communis essentia vel quidditas dicitur. Quidquid igitur est in re ad naturam communem pertinens, sub significatione essentiae continetur, non enim quidquid est in substantia particulari est hujusmodi. Si enim quidquid est in substantia particulari ad naturam communem pertineret, non posset esse distinctio

inter substantias particulares ejusdem naturae... Comparatur ergo essentia ad substantiam particularem ut pars formalis ipsius, ut humanitas ad Socratem. Et ideo in rebus ex materia et forma compositis essentia non est omnino idem quod subjectum; unde non praedicatur de subjecto : non enim dicitur quod Socrates sit sua humanitas (de Pot. q. 9 a. 1 ; coll. 3 p. q. 2 a. 2; III D. 5 q. 1 a. 3).

At eadem natura vel essentia non existit in rerum natura quatenus est communis et universalis, sed quatenus est singularis et individua. Restat quaerendum quo modo natura singularis sese habeat tum ad naturam communem, definitione significatam, tum ad suppositum ipsum, hypostasim et personam. Quod ad primam comparationis partem attinet, essentia seu natura singularis naturae specificae superaddit principia individualia, ex quibus est *haec* numero natura ab aliis ejusdem speciei distincta. Quae quidem improprie dicta compositio non intelligenda est perinde ac si *realis* esset : neque enim individualia principia, seu, ut alii malunt, proprietates individuantes, puta *haec* anima, *hae* carnes, *haec* ossa, a principiis quibus ipsamet natura communis constituitur, sunt ut res a re distincta, cum ex eadem omnino realitate quilibet homo sit et hic homo singularis et homo et animal et substantia et ens.

Modum hujusce compositionis explicavit S. Doctor (Quodl. 2 a. 4 ad 1) : « Dupliciter autem aliquid accipitur ut accidens praeter rationem rei. Uno modo, quia non cadit in definitione significante essentiam rei, sed tamen est designativum vel *determinativum* alicujus essentialium principiorum, sicut rationale accidit animali, utpote praeter definitionem ejus existens, et ta-

men est determinativum essentialiter animalis : unde est essentiale homini et de ratione ejus existens. Alio modo accidit aliquid alicui, quia nec est in ejus definitione, nec est determinativum alicujus essentialium principiorum, sicut albedo accidit homini. His ergo quae sunt composita ex materia et forma, accidit aliquid praeter rationem speciei existens utroque modo. Cum enim de ratione humanae naturae sit quod componatur ex anima et corpore, determinatio corporis et animae est praeter rationem speciei, et accidit homini, in quantum est homo, quod sit ex *hac* anima et ex *hoc* corpore, sed convenit per se *huic* homini, de cujus ratione esset, si definiretur, quod esset ex *hac* anima et ex *hoc* corpore ; sicut de ratione hominis communis est quod sit ex anima et corpore. Accidunt etiam compositis ex materia et forma praeter rationem speciei multa alia quae non sunt determinativa essentialium principiorum, ut dictum est (e. g. operationes intelligendi, volitiones, etc.) ». Quapropter habent sese determinationes seu proprietates individuales ad naturam communem ut rationale ad animal in homine. Quamvis autem animal in aliis entibus inveniri possit realiter distinctum a rationali quod est in Petro vel Joanne, tamen nec in Petro nec in Joanne re distinguitur a rationali. Ad hunc ergo modum concipienda est additio rationum individualium, quibus homo fit *hic* homo. Itaque, si naturam communem conferas in compositis cum persona, necesse est dicas hanc illi superaddere notas et rationes individuales, cum persona non sit essentia hominis vel homo in genere, sed *hic* homo singularis in hac singulari natura.

Aliter S. Doctor loquitur de substantiis simplicibus, i. e. de angelis. « In substantiis vero simplicibus, inquit,

nulla est differentia essentiae et subjecti, cum non sit in eis materia individualis naturam communem individuans ; sed ipsa essentia in eis est subsistentia » (de Pot. q. 9 a 1). Scilicet, ex doctrina S. Doctoris apud substantias simplices non invenitur species plura sub se continens individua : materia enim est primum principium individuationis, i. e. causa radicalis propter quam in eadem specie multiplicari possunt individua solo numero distincta. Hinc in angelis ipsamet natura specifica singularis est, totque sunt species essentia differentes quot numero sunt angeli. Eodem igitur modo comparantur ad hypostasim et personam essentia specifica angeli, et natura singularis hujus vel illius individui compositi. Porro S. Doctor saepe docet in puris spiritibus in quibus, secundum ejus opinionem, natura speciei est essentialiter individua, « suppositum et naturam *sola ratione* differre : in quantum scilicet natura dicitur prout est essentia rei, suppositum vero prout per *se subsistit* » (de Unione V. Incarn. a. 1 ; col. de Pot. q. 9 a. 1; 3 p. q. 2 a. 2 ; 1. p. q. 3 a. 3 ; III D. 5 q. 1 a. 3, et alibi multoties). Ergo sentiendum est idem omnino, si sermo sit de natura *singulari* suppositi compositi quod sumus ipsi nos.

Neque tamen inferendum est omnem essentiam seu naturam singularem in creatis esse necessario personam, propterea quod suppositum et natura singularis nonnisi *ratione* differre dicta sint. Addidit enim S. Doctor verba diligentissime ponderanda : « suppositum *vero prout per se subsistit* ». Quare, si natura sit singularis, sed per se non subsistat, i. e. ex definitione S. Thomae non habeat esse sibi proprium, jam excidet a ratione suppositi vel personae, licet eamdem in se realitatem retineat. Propterea, locis pluries citatis (puta Quodl. 2 a. 4), post-

quam B. Thomas docuit in Deo esse idem omnino suppositum et naturam, quia « suum esse est sua natura », continuo subjungit : « In angelo autem non est omnino idem ; quia aliquid accidit ei quod non est de ratione suae speciei, quia et ipsum *esse* angeli est praeter ejus essentiam seu naturam », individuam scilicet. Quod idem asserit ibidem de natura composita singulari, cum supposito comparata. Cum igitur ait in angelis suppositum et naturam sola ratione differre, utique non negat aliud elementum, existentiam nempe propriam, esse requisitum ut persona constituatur ; sed hoc unum sibi vult, non hæc ibi requiri principia individualia quae naturam communem in compositis determinant ut existentiam suscipiat et fiat persona. Ex quibus intelliges hoc quod habet Angelicus doctor (III D. 6 q. 1 a. 2 a 5) : « Dicendum quod hoc quod facit conjunctum ex corpore et anima esse hominem, non est praeter animam, corpus et unionem, aliquid *positive* ; sed ex hoc ipso quod ipsum compositum ex anima et corpore (i. e. natura singularis integra, seu, quod in idem recidit, individuum naturae) non adjungitur alteri *subsistenti in natura composita*, sequitur quod conjunctum sit homo. Unde si Christus humanam naturam quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantiis ».

Hoc igitur interest inter naturam singularem et hypostasim, quod hypostasis in se subsistit, ut existeret in se natura humana quam Verbum assumpsit, si semel ab ipso divideretur et divisa servaretur ; natura vero singularis remanere possit in ratione sua naturae, non tamen ut hypostasis, si non existat in se, sed alia persona, divina scilicet, in illa subsistat, i. e. illam ad esse per-

sonale suum assumat. Et haec quidem ita comparata sunt ut mirum demonstrent esse consensum doctrinae S. Thomae cum sententiis Patrum, hinc asserentium nihil minus habere naturam humanam Christi quam nostram, et Dei Filium id totum accepisse sibi quod in Adamo plantavit, illinc vero docentium eamdem naturam ideo personam non esse quia in se nunquam extitit. Sed de his infra pluribus.

Satis ergo sit in praesens ostendisse quod unum et idem individuum naturae rationalis seu intellectivae aliter est singularis natura vel essentia, aliter hypostasis seu persona. Est, inquam, natura quatenus spectatur ut primum principium quo quis vel quid operatur ; essentia, quatenus significatur ut id quo res illa singularis in certa quadam specie constituitur ; *singularis* essentia seu natura, quatenus est haec ab aliis ejusdem speciei numero distincta. Sed est sub alia ratione persona vel hypostasis, quatenus nempe consideratur ut sistens sub esse suo, seu, quod perinde est, ut existens in se et per se : qui quidem modus existendi, si, salva realitate substantiali, tolletur in creatis, remanebit ratio tam naturae quam essentiae etiam singularis, sed peribit ratio personae.

Ex his omnibus eruitur, quod ad rationem hypostasis et personae spectat, corollarium hic non praetermittendum. Scilicet, etsi veteres illi philosophi quibus revelatio nondum illuxerat, neque tres unius numero naturae personas, neque completam aliquam naturam quae persona non sit, aliquando noverint, veram tamen nostrisque mysteriis, ut ita dixerim, applicabilem hypostasis et personae notionem sibi cudere potuerunt : neque enim aliam quam quae confusa saltem et implicita penes om-

nes habebatur, illustravit Theologia catholica. Quid enim fert humana persona, Petrus aut Joannes? Substantiam naturae rationalis completae, in se existentem, et individuam simpliciter, i. e. nec ratione nec re pluribus communem : haec certe sunt quibus homo quilibet singularis prae oculis rationis constitutus invenitur. Qui igitur recentes theologi nuper arbitrati sunt personae conceptum absolvi definitione, quod persona est substantia rationalis naturae, vel substantia sui conscia, pro forma personalitatis propria vel intellectualitatem vel conscientiam unice ponentes (1), hi theoriam non modo Trinitatis et Incarnationis mysterio inimicam intrudebant, sed ipsi etiam notioni personae naturaliter cognoscibili reluctantem. Elementum enim unum aut alterum omittebant ex iis quibus singula quaeque persona constat, aut scilicet subsistentiam, aut omnimodam individuationem. Quare, si probandi sunt Patres quando pronunciant, hoc demum esse quod haereticis errandi causa fuit, quod naturam ab hypostasi non discernant, non id Anast. Sinaïtae concederem quod ait, Arianos, Sabellianos, Nestorianos, Monophysitasque « ex Aristotele et aliis graecanicis disciplinis sumpsisse ut assererent idem esse personam ac naturam » Anast. S. (in Hodego c. 6 et 9). Substantia enim prima illi erat substantia cum iis omnibus characteribus quos in *hoc* vel *illo* homine ferre solet ; nec alii characteres requiruntur ut, revelato semel vel Trinitatis vel Incarnationis mysterio, judicetur neque naturam divinam, quia cum relativis tribus identificatur, nec humanitatem Christi, quia non in se sed in Verbo exis-

(1) Hoc modo prae caeteris peccarunt Güntheriani. V. Franzel. *de Verbo incarnato*, thes. 28. Peccavit etiam Tissot, *de l'Animisme*, etc.

tit, esse personam. Quid igitur in hac re revelatio ? Praestitit ut elementa quibus constat ratio personae, certius et distinctius cognosceremus, nec judicaremus abusu quodam scientiae, aliqua cum adsint, adesse semper omnia. Praestitit insuper ut sciremus, quod ratio naturali suo lumine ne suspicata quidem fuisset, esse naturas substantiales, easdemque singulares atque completas, pleno conceptui personae non respondentes, quod in eis aut desit existentia per se seu subsistentia, aut adsit identitas cum pluribus ad invicem distinctis.

Ultimo notandum est quod, notione *subsistentiae* secundum significationem supra declaratam accepta, non est sine declaratione dicendum in substantiis intellectualibus idem esse personam aut personalitatem et subsistentiam. Et quidem, si de personis creatis tantum ageretur, omnino certum esset rationem personae, ubi tamen supponitur substantia quae subsistit, esse completa ratione naturae, per subsistentiam absolvi. Hac enim accedente, nihil ex iis deesset quae personam constituunt. At vero divina essentia, quantumvis ipsa subsistens sit, imo causa subsistendi relationibus, non est per seipsam persona, quia, sua hac subsistentia non obstante, sed necessitante potius, pluribus distinctis communicatur (de Pot. q. 9, a. 5 ad 13 et 23 ; col. a. 6 ad. 3).

LIBER SECUNDUS

LIBER SECUNDUS

CAPUT I

Quod humanitas Christi non sit persona, sed ad praeexistentem Verbi personam pertineat, quia carens esse suo proprio tracta est ad esse personale Filii Dei.

Catholicus unionis hypostaticae conceptus, quod ad substantiam pertinet, his fere capitibus continetur. Scilicet humana Christi natura non est persona, sed est personae Verbi, ut eadem omnino sit hypostasis in duabus distinctis naturis subsistens quae prius et ab aeterno subsistebat in divina. Quapropter unio duarum naturarum in una persona Christi substantialis est, non accidentalis. Hinc, facta semel unione, Christus est unum, unusque subsistens; ita tamen ut vere dici possit persona composita. Et haec sunt de quibus per ordinem nunc est ex S. Thoma disserendum.

Et primo quidem, de primo capite (1) disseramus. Porro S. Doctor in iis textibus in quibus ex professo de re nostra scripsit, saepe saepius docet humanam Christi naturam, licet substantia singularis sit, et in sua

(1) Relegantur notiones olim traditae de terminis esse in se et per se, subsistere, subsistentia, L. I cap. 1 toto. Haec enim verba juxta significationem a S. Thoma tunc datam sunt nunc intelligenda.

quidditate completa, propter hoc solum non esse personam a persona Verbi distinctam, quia non est per se existens, sed « existit in persona Verbi » (3 p. q. 2 a. 2 ad 2). Item ait : « Non quodlibet individuum in genere substantiae, etiam in rationali natura, habet rationem personae, sed solum illud quod per se existit, non autem illud quod existit in alio perfectiori..... Licet ergo haec humana natura sit quoddam individuum in genere substantiae, quia tamen non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Dei Verbi, consequens est quod non habeat personalitatem propriam, et ideo facta est unio in persona » (ib. ad 3). Item (ead. quaest. a. 5 ad 1) : « Quod ex unione animae ad corpus constituatur persona..., hoc ideo in puris hominibus accidit, quia anima et corpus sic in eis conjunguntur ut per se existant. Sed in Christo uniuntur ad invicem ut adjuncta alteri principaliori quod subsistit in natura ex eis composita. Et *propter hoc* ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona, sed advenit ipsum conjunctum personae seu hypostasi praeexistenti. » Item : « Dicendum quod non est propter inefficaciam unionis animae ad corpus quod eorum conjunctio, secundum quod praeintelligitur unioni ad divinam personam, non facit hominem, sed humanam naturam in Christo ; sed est ex hoc quod non fuerunt *ut per se subsisterent*, sed ut divina persona in eis subsisteret » (in III D. 6 q. 1 a. 2 ad 3 ; col. ad 4).

Nec aliter legitur in Quaest. de Unione Verbi incarn. (a. 2 ad 17) : « Dicendum quod anima et corpus unita constituunt suppositum et hypostasim, si *per se existat* quod ex utroque componitur : quod in proposito non contingit. » In corpore autem articuli auctor scripserat pluribus : « Est

substantiae proprium ut per se et in se subsistat ; accidentis autem est esse in alio. Et ideo illa nomina quae pertinent ad individuationem *substantiae* (persona, hypostasis, suppositum), in illis solum locum habent quae per se et in se subsistunt ; et propter hoc etiam de partibus substantiarum non dicuntur, quia non *sunt in seipsis*, sed *in toto*, quamvis non sint in *subjecto* ; de quibus tamen dici possunt nomina ad individuationem pertinentia convenienter tam in substantiis quam in accidentibus (ut individuum, particulare, singulare). Non enim potest dici quod haec manus sit persona, vel hypostasis aut suppositum, quamvis dici possit quod sit aliquid particulare, singulare vel individuum. Manus enim, etsi pertineat ad genus substantiae, quia tamen non est substantia completa in se subsistens, non dicitur hypostasis, aut suppositum, vel persona. Sic igitur, quia humana natura in Christo *non per se separatim existit*, sed existit in alio, id est, in hypostasi Verbi Dei, non quidem sicut accidens in subjecto, neque proprie sicut pars in toto, sed per ineffabilem assumptionem ; ideo humana natura in Christo potest quidem dici individuum aliquod, vel particulare, vel singulare ; non tamen potest dici hypostasis, vel suppositum sicut nec persona. Unde relinquitur quod in Christo non est nisi una hypostasis, vel suppositum scilicet divini Verbi », naturam habentis utramque, divinam per identitatem, humanam per assumptionem.

Et quidem est perspicuum totam personae rationem immutabiliter ex parte Verbi sese tenere. Verbum enim in unione totum illud immutabiliter sibi retinet quo priusquam uniretur, erat persona : neque enim minus est substantia individua per se existens, seu, quod pe-

rinde est, subsistens distinctum in natura intellectiva, quia subsistit etiam in humanitate, quam si divinitatem solam haberet, siquidem esse quo subsistit, ab humana natura nullomodo pendet ut sit (1).

Eo reducitur id quod S. Thomas habet in Compendio Theol. c. 211. Advertit nempe quod « in aliis hominibus unio animae et corporis constituit hypostasim et suppositum, quia nihil aliud est praeter haec duo. In Domino autem Jesu Christo praeter animam et corpus advenit tertia substantia, scilicet divinitas. Non ergo est seorsum suppositum vel hypostasis, sicut nec persona, quod est ex corpore et anima constitutum : sed suppositum, hypostasis vel persona est id quod constat ex tribus substantiis, corpore scilicet, anima et divinitate ; et sic in Christo sicut est una tantum persona, ita unum suppositum et una hypostasis ». Haec enim nomina, persona, hypostasis et suppositum, integrum quoddam designant, ut a capitis initio notabatur. « Alia autem ratione advenit anima corpori, et divinitas utrique. Nam anima advenit corpori ut forma ejus existens », ac ideo per modum partis. Non ita vero divinitas advenit animae et corpori, sed est quid integrum in se existens. Et sane, « si divina natura in Christo *esset ut pars*, et non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis, una persona Christi non se teneret tantum ex parte naturae divinae, sed esset quoddam constitutum ex tri-

(1) « Dicendum quod natura humana non constituit personam divinam simpliciter, sed constituit eam secundum quod denominatur a tali natura. Non enim ex natura humana habet Filius Dei quod sit simpliciter sed solum quod sit homo » (3 p. q. 3 a. 1 ad 3) ; aliis verbis, non habet ex natura humana quod subsistat distinctus in natura perfecta (quo persona constituitur), sed quod secundum eam et in ea subsistat ut homo. V. sup. p. 70-72 quae recitabam de persona.

bus, sicut in homine persona, hypostasis et suppositum est quod ex anima et corpore constituitur. Sed quia divina natura est aliquid integrum, quod sibit assumpsit per quamdam ineffabilem unionem humanam naturam ; persona se tenet ex parte divinae naturae, et similiter hypostasis et suppositum , anima vero et corpus trahuntur ad personalitatem personae divinae, ut sit persona Filii Dei, sicut etiam filii hominis et hypostasis et suppositum ».

Itaque, propterea Verbum in unione retinet suam rationem personae, quia nihil in ea perficitur ; compositum autem ex anima et corpore quod naturaliter esset persona, deficit a personalitate, quia trahitur ad aliquid se perfectius, ad Verbum scilicet, ut aliqualem induat rationem partis. Hoc ipsum alibi dixerat Angelicus : « Si essent naturae cum suis proprietatibus seorsum positae, utrinque esset totalitas, quam requirit ratio personae ; non est autem nisi una totalitas, quando conjunguntur, et ideo est una persona », nempe Filii Dei, qui naturam humanam assumit ad suam totalitatem (III D. 5 q. 1 a. 3 ad 3). « Dicendum quod naturae assumptae non deest propria personalitas *propter defectum alicujus quod* ad perfectionem humanae naturae pertinet, sed propter additionem alicujus quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam » (3 p. q. 4 a. 2 ad 2).

Sed quid, Angelico auctore, significat hoc quod dixit. naturam humanam Christi assumi a principaliori, rationem aliqualem partis induere, totalitate personae propria carere, quam ipsummet Verbum in unione retinet ? Idipsum quod in textibus primo citatis aiebat, nimirum humanitatem illam habere quod sit in natura rerum,

non ab esse proprio sed ab ipsomet Esse Verbi, quod illam assumpsit. Audiendus ipse est rem iterum ex professo declaraturus. Hoc, inquam, in Summa (3 p. q. 2 a. 6 ad 2) declarat : « Verbum, inquit, ab aeterno *esse completum* habuit secundum hypostasim sive personam ; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum *esse* prout est naturae,... sed ad unum *esse* prout est hypostasis vel personae ». Hoc declarat in Compendio theol. (cap. proxime seq., i. e. 212), ubi, statuta primum, generali regula secundum quam ea quae pertinent ad naturam, dicenda sunt de Christo pluraliter, quae vero pertinent ad personam, singulariter, concludit : ex quo « videtur dicendum quod in Christo sit tantum unum esse. Manifestum est enim quod partes divisae singulae *proprium esse habent* ; secundum autem quod in toto considerantur, *non habent suum esse*, sed omnes sunt per *esse totius*. Si ergo consideremus ipsum Christum ut quoddam integrum suppositum duarum naturarum, ejus erit unum tantum esse, sicut et unum suppositum ». Hoc tandem declaratur ex III D. 6 q. 2 a. 3 : quo in loco tribuit Angelicus humanae Christi naturae conditionem unam partis, nempe quod esse proprio careat : nam « partes *non habent proprium* esse, sed sunt per esse totius... *Esse divinae personae pertinet ad utramque naturam* ».

Arbitror me satisfecisse titulo capitis. Etenim, uti non ex capite primo L. I solum sed ex capp. 6-8 manifestum est, hae similesve formulae, « subsistere, existere per se, existere in se, nihil aliud significant, auctore S. Thoma, quam « esse sub esse suo, proprium esse habere » : ex quo fit ut anima humana sit *subsistens*, quia suum esse sibi proprium habet, anima vero bruti non sit subsistens,

quia non existit nisi per esse totius. Cum ergo S. Thomas hanc solam rationem reddat ob quam humana natura Christi personalitate propria careat, quod non existit per se nec subsistit ; quod insuper, ut modo dicebatur, assimilatur *partibus*, secundum quod « partes non habent esse proprium » ; confitendum est nos in reddenda ratione cur humanitas exciderit e ratione personæ, sensum S. Doctoris certius attigisse, nec alium sensum ejus verbis subesse posse.

Transeundum ad caput secundo loco positum, in quo non aliud agetur, sed idem sub alia ratione.

CAPUT II

Quod fundamentum unionis substantialis humanae naturae cum Verbo sit unitas actus essendi.

Unionem substantialem hic appellamus non illam solum quae sit inter substantias, cujusmodi potest esse unio etiam accidentalis (1) ; sed unionem cujus terminus est una numero substantia : substantiam dico quae nomine personae vel hypostasis significatur, non autem quae nomine naturae vel essentiae (3 p. q. 2 a. 6 ad 3). Qua autem significatione pressiori sit intelligenda illa unio substantialis, quae est hypostatica, opportunius infra declarabitur. Porro vel ex hac breviori status quaestionis explicatione liquet idipsum quoad rem in hoc capite quod in antecedenti tractatum est, venire demonstrandum.

Sentit igitur Angelicus nec unitatem nec unionem substantialem cum esse duplici consistere posse. Quare necesse est, si velimus humanitatem Verbo substantialiter uniri, suo esse careat, quod eminentius ab esse Verbi suppleatur. Unde quaerens (3 p. q. 2 a. 6) « utrum humana natura fuerit unita accidentaliter ? » commemoratis primo duabus haeresibus, altera Eutychetis duas

(1) Accidentalis est unio Spiritus sancti cum animabus justorum hominum, licet utrinque terminus unionis sit substantia. Est igitur vitanda ratio illa loquendi, passim tamen usurpata, qua vocatur unio substantiva, ut dicatur melius adesse Spiritum S. non modo per dona sua sed per ipsammet sui personam. Hoc enim est quod Patres significatum volunt, cum aiunt Spiritum S. substantialiter in justis inhabitare.

naturas in unam componente, altera Nestorii substantiam a substantia sub ratione non naturae solum sed et hypostaseos dividente, duos postea recentiorum quorumdam doctorum errores recitat atque confutandos aggreditur. « Quidam, inquit, posteriores magistri putantes se has haereses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum concesserunt unam Christi personam, sed duas hypostases sive duo supposita (posuerunt), dicentes *hominem* quemdam, compositum ex anima et corpore, a principio suae conceptionis esse assumptum a Dei Verbo. Et haec est prima opinio quam Magister ponit (Sent. L. III D. 6). Alii vero volentes servare unitatem personae posuerunt Christi animam non esse corpori unitam, sed haec duo separata ab invicem esse unita Verbo accidentaliter, ut non crescceret numerus personarum. Et haec est tertia opinio quam Magister ibidem ponit. Utraque autem harum opinionum incidit in errorem Nestorii. Prima quidem, quia idem est ponere duas hypostases vel duo supposita in Christo, quod ponere duas personas, ut supra dictum est..... Alia vero opinio incidit in errorem Nestorii quantum ad hoc quod posuit unionem accidentalem ;... quae etiam pejus aliquid dicit quam Nestorius, scilicet quod anima et corpus non sunt unita... »

Quibus praemissis, occurrit objectionibus, et fundamentum erroris aperit. Et objectio quidem principalis erat hujusmodi : « Omne quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter..... Sed natura humana advenit ex tempore Filio Dei habenti esse perfectum ab aeterno. Ergo advenit ei accidentaliter ». Ecce responsum : « Ad secundum dicendum, quod illud quod advenit post esse completum,

accidentaliter advenit, nisi trahatur in *communionem illius esse completi*, sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur (quod est animae), ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam. Non est autem sic de albedine (i. e. non trahitur in communionem esse completi substantiae praeexistentis), quia aliud est *esse* albi, et aliud *esse* hominis, cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim sive personam ; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad *unum esse prout est naturae*, sicut corpus assumitur ad esse animae ; sed ad *unum esse prout est hypostasis vel personae*. Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Verbo Dei », sed in unitate substantiae. Utraque vero positio qua nonnisi unio accidentalis asseritur, « *procedit ab eodem fonte, scilicet ex hoc quod humana natura non assumeretur ad esse divinae personae*. Unde prima opinio ponebat quod assumptum habebat *esse per se* in quo subsistebat.... » (III D. 6 q. 3 a. 2).

Ibidem vero S. Doctor, cum opposuisset ex mente magistrorum illorum, id quod advenit post esse completum, accidentaliter uniri, continuo responderat idipsum quod erat in Summa theologica responsurus : « Ad secundum dicendum quod, quamvis adveniat humanitas post *esse completum*, non tamen est accidentaliter adveniens, quia *trahitur ad unionem in illo esse*, sicut corpus adveniet animae in resurrectione ». Plura proferri necesse non est. Quae enim principia tria superius in capite quarto L. I recitabamus et ad mentem S. Doctoris evolvebamus, quaestionem solutionemque praesentem clarissima sua luce perfundunt.

CAPUT III

Quod unitas entis et subsistentis requirat unitatem actus essendi.

Ad hoc caput doctrinae statuendum satis erit articulum secundum q. 17 3ᵃᵉ partis enarrasse, adscitis locis quibusdam parallelis. Titulus est ex professo : « Utrum in Christo sit tantum *unum esse?* » Propositis, ut solet, argumentis in gratiam theoriae suo sensui oppositae, S. Doctor prosequitur in hunc modum : « Sed contra, unumquodque secundum hoc dicitur ens, secundum quod dicitur unum, quia unum et ens convertuntur. Si *ergo essent duo esse*, et non tantum unum, Christus esset duo, et non unum », ac proinde daretur in illo duplex persona. « Respondeo dicendum quod, quia in Christo sunt duae naturae et una hypostasis, necesse est quod ea quae ad naturam pertinent in Christo, sint duo ; quae autem pertinent ad hypostasim in Christo, sint unum tantum. Esse autem pertinet et ad naturam et ad hypostasim : ad hypostasim sicut ad id quod habet esse ; ad naturam vero sicut ad id quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formae quae dicitur *ens* ex eo quod ea aliquid est, sicut albedine est aliquid album, et humanitate est aliquid homo (1). Est autem considerandum quod, si est aliqua forma vel natura quae non pertineat ad esse personale hypostatis subsistentis,

(1) V. Sup. p. 11-12, 38-40.

illud *esse* non dicitur esse illius personae simpliciter, sed secundum quid : sicut *esse* album est *esse* Socratis, non in quantum *est Socrates*, sed in quantum *est albus*. Et hujusmodi *esse* nihil prohibet *multiplicari* in una hypostasi vel persona : aliud enim est *esse* quo Socrates est albus, et quo Socrates est musicus. Sed illud esse quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam secundum se, impossibile est in una hypostasi vel persona multiplicari ; quia impossibile est *quod unius rei non sit nisi unum esse* ».

Hic moremur aliquantulum : incipiunt enim contentiones de verborum significatione. Nonnullis igitur interpretibus, illud esse personae quod, salva entis unitate, multiplicari nequit, non est ipsa existentia rei substantialis simpliciter dicta, sed aliud nescio quod, cui nomen imponunt « esse personalis, seu subsistentiae » : neque enim fas est *ad esse naturae* provocare, cum hoc in Christo sit ex fide duplex. At exceptio manifeste revincitur : tum quia, sicut patet ex praenotatis, S. Thomas nullum aliud esse reale novit quam vel esse naturae, vel esse existentiae quod aut accidentale est, aut substantiale ; tum quia parallelis in locis, quod hic dicit esse *personale*, nominavit esse *substantiale*, idemque contradistinctum ab accidentali. Sit in exemplum id quod habetur in Quodl. 9, a. 3, in corp., ubi hanc nostram quaestionem agit : « Et sic patet quod secundum opinionem secundam (catholicam nempe) oportet dicere quod in Christo est *unum esse substantiale*, secundum quod esse est suppositi proprie, quamvis in eo sit multiplex esse accidentale ». Quo etiam in loco repetit Angelicus idipsum quod alibi scripserat, *esse* de quo loquitur, illud esse *quo denominatur aliquid ens actu in rerum*

natura, id est, existentiam (1). Est ergo manifestum quod esse cujus unitatem S. Thomas judicat esse necessariam unitati entis, est esse existentiae : quod quidem appellat esse personae vel suppositi, tum generatim, quia suppositum est quod habet esse (2); tum speciatim, ubi de Christo sermo est, quia natura humana assumitur ad participationem esse divini, quatenus hoc habetur a persona Filii, non autem quatenus est Patris aut Spiritus sancti (3).

Quibus animadversis, audienda sunt quae proxime sequuntur in littera : « Si igitur humana natura adveniret Filio Dei non hypostatice vel personaliter, sed accidentaliter, sicut quidam posuerunt, oporteret ponere in Christo duo esse : unum quidem secundum quod est

(1) Quamvis in re adeo clara testibus non opus sit, unum tamen producam eo graviorem quod existentiam duplicem in Christo defendat : duplicem, inquam, quae compositione sit una. Moeratius (*Tract. de Incarn. D.* 40 s. 1) ita de mente S. Thomae 3 p. q. 17 a, 2 scribit : « Quomodo autem, non obstante illa duplici existentia quae in Christo est, sit unicum in eo tantum esse, tam ex mente S. Doctoris quam ex rei veritate, non omnes eodem modo explicant. Aliqui asserunt ipsum non loqui de *esse existentiae*, sed de solo esse personali, solumque proinde admittere in Christo *unicum esse personale*. Sed revera de esse existentiae loquitur : tum quia cur hic de esse personali loqueretur, doceretque unicam in Christo esse subsistentiam seu personalitatem, eumque proinde esse unicam numero personam, cum id supra q. 2 a. 2 et 6 ex professo docuerit, et a. 1 hujus quaest. obiter repetierit, et tanquam satis illa quaestione probatum supposuerit ;.... tum quia in tertio quod sibi objicit argumento, et in sua ad illud responsione, clarissime de esse existentiae loquitur : in argumento quidem concludens ex uno esse in personis divinis ob unitatem naturae duplex in Christo esse ob duas naturas ; in responsione autem concedens ultro in tribus illis personis unicum esse, quod falso concederet, si de esse non existentiae sed personali loqueretur : cum sicut, non obstante unitate naturae, unicaque ejus existentia, sunt tres distinctae personae, sic sit triplex earum personalitas, triplexque ésse personale. Loquitur ergo de esse existentiae ». Hactenus Moeratius qui suam deinde sententiam de compositione duarum existentiarum in unam explicare conatur.

(2) V. sup. p. 57-58.

(3) V. inf. L. II c. 7, p. 123, sqq.

Deus, aliud autem secundum quod est homo; sicut in Socrate ponitur aliud esse secundum quod est albus, et aliud secundum quod est homo; quia esse album non pertinet ad esse personale Socratis ». Ecce tibi quo in casu multiplicaretur esse, nempe si Christus esset accidentaliter homo, sicut Petrus est accidentaliter aut vestitus aut albus.

Nunc accipe quomodo sit unum esse personale, licet secundum aliquem sensum et de *esse aeterno* Filii Dei et de *esse temporali* hominis Christi loqui possimus. « Esse autem capitatum, et esse corporeum, et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis (ad esse personale Socratis): et ideo *ex omnibus his non fit nisi unum esse* in Socrate. Et si contingeret quod post constitutionem personae Socratis advenirent Socrati manus, vel pedes, vel oculi, sicut accidit in coeco nato, ex his non accresceret aliud esse ». Rationem ejus aliqui reddunt, quod ex esse partialibus pedum, oculorum, vel ex esse materiae et ex esse formae resultet unum esse compositum et totale. At non ita S. Thomas: « Non accresceret, inquit, aliud esse, sed solum relatio quaedam ad hujusmodi; quia scilicet diceretur *esse* non solum secundum ea quae prius habebat, sed etiam secundum ea quae sibi postmodum advenerunt. Sic igitur, cum humana natura conjungatur Filio Dei hypostatice vel personaliter, ut supra dictum est (q. 2, a. 6), et non accidentaliter, consequens est quod secundum humanam naturam non *adveniat ei novum esse personale*, sed *solum nova habitudo esse personalis praeexistentis* ad naturam humanam; ut scilicet persona illa dicatur *subsistere* non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam »; ac, ut ad 2dum dicitur: esse aeter-

num fiat esse hominis. Haec, ni fallor, satis clara sunt, ac interpretatio captu facilis. Exemplum tamen aliquod afferamus, qua res, si fieri potest, evadat planior. Quae alimenta convertimus in nostram praeexistentem substantiam corpoream, utique vitam conversa participant, non aliam tamen quam qua corpus nostrum ante vivebat, sed eamdem. Neque enim novum est vitae principium, sed habitudo nova principii praeexistentis ad carnem denuo formatam. Quod exemplum esset propinquius ad rem, si fingeres homini manco brachium divinitus restitui.

Caeterum, cui de mente S. Doctoris aliquod dubium supersit, adeat is parallelum omnino textum (III D. 6 q. 2 a. 2). Illic enim, praeterquam quod ex professo docet generatim aliud esse non dari praeter *esse* quod est actus entis et *esse* quod est essentia, eadem omnino quae modo recitavimus, confirmat et illustrat. « Secunda, inquit, opinio (catholica nimirum, quae medium locum tenet inter duas opiniones ab ipso modo confutatas), quia ponit unum subsistens, et ponit humanitatem non accidentaliter advenire divinae personae, oportet quod *ponat unum esse*. Impossibile est enim quod unum aliquid *habeat duo esse substantialia :* quia unum fundatur super ens : unde si sint plura esse, secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est quod dicatur unum. Sed non est inconveniens quod esse unius subsistentis dicatur per respectum ad plura, sicut esse Petri est unum, habens respectum ad diversa principia constituentia ipsum ; et similiter suo modo *unum esse Christi habet duos respectus*, unum ad naturam humanam, alterum ad divinam ». Sed erit forte qui, quoniam Angelicus dixit « esse Petri habere respectum ad diversa principia ipsum constituentia », imaginabitur esse quoddam unum

unitate compositionis. Dubitationem omnem removet auctor in resp. ad 1 : « Dicendum, inquit, quod forma facit esse, non ita quod illud esse sit materiae vel formae, sed subsistentis (hypostasis seu personae). Quando ergo compositum ex materia et forma est per se subsistens, acquiritur ex forma illi composito esse absolutum per se ; quando autem non est per se subsistens, non acquiritur per formam esse illi composito ; sed subsistenti cui (hoc compositum) adjungitur, acquiritur respectus secundum esse ad hoc quod ei additur ; sicut si ponamus hominem nasci sine manu, et manum per se separatim fieri, et postea ei miraculose conjungi, constat quod *forma manus causabit esse manus* per se subsistentis (quamdiu manus separata manebit) ; sed postquam conjungitur homini, *non acquiritur ex forma manus aliquod esse manui, quia manus (jam) non habet esse proprium ;* sed acquiritur homini respectus ad manum secundum suum esse. Ita etiam dico quod anima in Christo *non acquirit proprium esse humanae naturae ;* sed Filio Dei acquirit respectum secundum suum (Filii Dei) esse ad naturam humanam, qui tamen respectus non est aliquid secundum rem in divina persona, sed secundum rationem, ut dictum est de unione ». Quibus lectis et intellectis, doctrina in hoc capite demonstranda nihil dubitationis circa mentem S. Thomae prae se ferre mihi videtur (1).

(1) Quas angustias in hoc articulo Summæ declarando passi ii fuerint qui creatam existentiam humanitati Christi tribuunt, infra L. III dicetur.

CAPUT IV

Utrum doctrinae superioribus in capitibus traditae S. Thomas reluctetur in sua de Unione Verbi incarnati quaestione ?

Quibusdam doctoribus visus est S. Thomas in hac quaestione vel a sententia quam alibi docuit, recessisse, vel certe normam nobis tradidisse, secundum quam ejus doctrina aliter ac interpretati sumus, exponi possit atque etiam debeat. Etenim, aiunt illi, in praedicta quaestione duas existentias in Christo, alteram divinitatis, humanitatis alteram non semel significavit. Textus recitavit Tiphanus (de Hypostasi et Persona c. 33), et eosdem in sensum esse duplici faventem pluribus exposuit.

Antequam ad solutionem directam veniatur, sunt observanda duo. Unum est, quod auctor quaestionis hujusce vel a principio, id est in articulis primo et secundo, personam non aliter definit ac supra definiebatur, nec aliam reddit rationem ob quam humanitas Christi non est persona, quam quod in se non existat, ut articulos illos vel ea quae plurima superius ex iisdem exscripta sunt, legenti luculenter patebit. Alterum observatu dignum est, quod plurium judicio non ita certum est quaestionem de Unione scriptam a B. Thoma fuisse, quam est compertum alia quibus utebamur documenta, eidem S. Doctori adscribi debere. Quare, si doctrina doctrinae repugna-

verit, tam utrique Summae quam Commentariis in Sententias omnino standum erit (1).

(1) Causae dubitandi nec paucae sunt nec omnino contemnendae. Et primo quidem, ut ab intrinsecis praejudiciis exordium ducamus, multi textus, identici quoad rem, aliter in hac quaestione recitantur, aliter in aliis Operibus certissime genuinis. Exempla dantur per articulos singulos. Articulo primo, si Quaestionis auctori credatur, sensus theologorum animam a corpore Christi dividentium, « damnatus est ab Alexandro III in Concilio *Turonensi* » ; dum in Summa Theologica (3 p. q. 2 a 6. *Sed contra*) scribitur hanc ipsam opinionem esse « contra Decretalem Alexandri Papae III dicentis in Concilio *Lateranensi*, etc. » Rursus, dum in Quaestione disputata legimus : « Et ad hoc quidem Apollinaris Laodic. tria dogmata posuit, ut Leo Papa dicit in epistola quadam ad Constantinopolitanos » ; Summa Theol. (3 p. q. 5 a. 4 ; col. 3) de Leone alte silet, ut expositionem ejusdem erroris ex Augustino repetat. Articulo autem secundo, ubi quaeritur, utrum una tantum sit hypostasis Christi, scriptor Quaestionis, non secus ac auctor Summae (3 p. q. 2 a. 3), provocat ad decretum Conc. Constant. Oecumenici V, sed ita tamen ut hinc et inde textus diversimode referatur. Consimilem omnino diversitatem reperire est in *Sed contra* art. illius secundi, cum *Sed contra* (3 p. q. 2 a 3) collato, licet idem Damasceni locus utrinque producatur.

Articulo item tertio, legitur in *Sed contra :* « Praeterea, secundum Boetium in Libro de Trinit. et Un., non procul a principio : unumquodque ideo est, quia unum numero est ». Parallelus autem Summae locus fert : « Sed contra est quod Boetius dicit in L. de Duabus Naturis : Omne quod est, in quantum est, unum est ». Recurrit discrimen occasione verborum quorumdam Augustini quae referuntur cum initio hujus a. 3, tum in Summae q. 17 a. 1, etiam a principio. Articulus 5 cum 3 p. q. 18 a. 1 ; q. 19 a. 1 collatus plures ejusmodi discrepantes versiones exhibebit, accidentales quidem, nec silendas tamen, eo vel maxime quod, auctoribus authentiae patronis, eodem fere tempore quo Summa, scripta Quaestio fuisset. Volunt enim illam inter Quaest. de Potentia connumerari. Et haec quidem de internis.

Nunc de externis pauca. Summum praejudicium externum est quod illa Quaestio de Unione nunquam commemoratur ab antiquioribus Scriptoribus qui Catalogum QQ. disputatarum texuerunt. Catalogus Ptolomoei Lucensis, qui obiit a. 1321, fert : « quaestiones de Veritate, quaest. de Spirit. Creat. et de Anima , quaest. de Virtutibus, item quaest. de Potentia ». Tacuit etiam de Malo non secus ac de Unione Verbi incarn. Sed illa continuo prostat in aliis Catalogis ; non item ista. Catalogus Gulielmi de Tocco (ob. a. 1323) : « Scripsit insuper quaestiones de Potentia, de Veritate et *Malo*, magna volumina » (Vita F. Thomae c. 4). Catalogus Joan. de Columna (ob. a. 1290) : « Quaestiones de Veritate, de Spirit. Creat., de Potentia Dei, de Virtutibus,

Nos vero, quaestione de Unione pro genuino Doctoris Angelici foetu probabiliter accepta, facili satis nego-

de Anima ». Nihil de Malo nec de Unione Verbi incarnati. Catalogus P. Roger (Clem. VI, qui ob. a. 1352) : « Quaestiones de Veritate, item quaest. de Potentia, item quaest. de Anima, item quaest. de Virtut., item quaest. de *Malo*, item quaest. de Spiritual. Creat ». Nihil iterum de Unione, etsi reliqua quaestionum capita *omnia* recenseantur. Catalogus Bern. Guidonis (ob. a. 1331) : « Scripsit idem Doctor non parva volumina quaestionum de diversis materiis... quae intitulantur : Quaest. de Veritate, item quaest. de Anima, item quaest. de Virtutibus, item quaest. de Malo, item quaest. de Spirit. Creaturis ». Omittuntur quaest. de Potentia, alibi semper notatae, cum quaest. de Unione, silentio perpetuo hactenus pressa.

Catalogus alius ducitur ex libro Rectoris Universitatis Parisiensis. ante annum 1300 scripto, qui nobis exhibet codices Quaestionum disputatarum in Universitate venales. Legitur autem : « Quaestionum de Veritate 65 pecias ; quaest. de Potentia 28 pecias ; quaest. de Spirit. Creat. 5 pecias ; quaest. de Malo 28 pecias ; quaest. de Anima et de Virtut. 24 pecias ». Eadem prorsus enumeratio refertur ab Echard (Scriptores O. Praed. T. I p. 288), addito etiam pretio *mutui* pro singulis Quaestionum capitibus : quod quidem pretium est pro primo capite, i. e. pro Quaest. de Potentia, 3 solidi ; pro secundo 14 denarii ; pro tertio 3 den. ; pro quarto 12 den. ; pro quinto 14 denarii.

Qui pro certissima authentia Quaestionis de Unione decertarunt, advertunt, et probabiliter quidem, illam ideo non fuisse nominatam explicite, quia uno e caeteris capitibus generalioribus includi censebatur. « A veteribus discipulis S. Thomae synchronis dividuntur Quaestiones disputatae in tres partes : 1° de Veritate et ultra ; 2° de Potentia Dei et ultra ; 3° de Virtutibus et ultra. Sub uno ex hisce *ultra* continetur quaestio de Unione Verbi incarnati ». Haec Franzelin in notis ad thes. 34 de Verbo incarnato. Sed, pace tanti viri, responsum istud non videtur omnino solidum. Synchronos et fere Synchronos homines audivimus, qui partitionem in hac forma non tradiderunt, sed minutius. Ille autem modus divisionis, adhibitis scilicet particulis *et ultra*, quem Em. Cardinalis commemorat, serius apparet, et primo forsan adhibitus est a Barth. Logotheta, in fragmentis, editore Baluzio, in lucem prodeuntibus « De Quaest. disputatis, inquit, partes tres. Unam disputavit Parisiis (a. 1256-1257), scilicet de Veritate ; aliam in Italia (a. 1350 vel 1361), scilicet de Potentia Dei et ultra ; aliam Parisiis (a. 1269-1271), scilicet de Virtutibus et ultra ». Itaque si nihil aliud haberetur quam generalis illa partitio, catalogi nec illi faverent qui de authentia quaestionis dubitat, nec aliis pro authentia pugnantibus. Sed his remanet explicandum cur in antiquioribus catalogis, qui particularem divisionem tradiderunt, illa quaestio constanter omittatur ; cur qq. singulares de Anima et de

tio, ni totus fallor, ostensuri sumus, non aliam in illa doctrinam, quod ad rem praesentem spectat, ac in caeteris scriptis contineri, licet termini quidam paululum differant. Hinc enim auctorem invenimus ubique cum D. Thoma tum de notione personae, tum de causa propter quam humanitas Christi non est persona, plene consentientem ; illinc vero textus qui pro sententia opposita proferuntur, ejusmodi sunt ut obviam interpretationem, doctrinae Summae consonam, respuere nequaquam videantur.

Spiritualibus Creaturis seorsim nominentur, etsi tanta sit utriusque cognatio, neutraque sub alio quaestionum titulo comprehendatur ; si q. de Unione, quae ratione materiae longe magis differt ab aliis, sub communi titulo cum illis implicita contineatur.

Primus omnium qui speciatim et distincte quaestionem de Unione in Catalogis exhibuit, est Valleotanus, seu Ludov. de Valleoleti, cujus Catalogus pertinet ad saec. XV, cum ipse obierit a. 1456. Paucis autem post annis et Laur. Pignon et S. Antoninus quaestiones disputatas ita recensent, ut de Unione prorsus taceant. Cf. Scriptores O. Praed. T. I p. 288 cum antec. et conseq. et Bernard. de Rubeis (Dissert. de quaest. disput.), qui tamen pugnant ambo pro authentia. Fatendum quidem est, quod e vetustis codicibus Mss. quos Echard scribit *innumeros* in Bibliothecis extare et a se visos esse, *quatuor*, ipso teste, reperiebantur in quibus quaestio de Unione reliquis annumerabatur ; et horum « *unus*, inquit, *videtur* esse saeculi XIII » (Scriptores. T. I p. 288-289). Erit autem qui respondebit pro multis opusculis certe spuriis qui sub nomine D. Thomae circumferuntur, non pauciores vetustos codices proferri posse, quo certe responso vis probationis vehementer minuitur. Neque validior esset alia confirmatio inde repetita, quod praedicta quaestio locum inter opera genuina in collectionibus impressis constanter acceperit : tum quia simile quid de quibusdam opusculis spuriis affirmari potest, tum generatim quia minor cura in iis collectionibus cudendis non semel adhibita fuerit. In exemplum sit Opusculum 52, cui titulus : « De quod est et quo est », quodque editor Parmensis dixit « esse imperfectum et valde corruptum, ut puto, vitio impressorum qui illud in Alemania impresserunt ». Menda corrige quaecumque manifesta sunt, et habebis de verbo ad verbum partem secundam a. 2 q. 5 D. 8 in I Sentent. a sciolo quodam decisam et ad norman Opusculi confictam. Quamobrem infirmum satis est argumentum ex insertione Quaestionis inter authenticos libros in editionibus impressis ab initio facta. Hactenus de momentis utrinque prolatis.

Quaerit auctor Quaestionis (a. 4) : An in Christo sit unum tantum esse ? Responsum hisce continetur : « Considerandum est quod aliquae sunt formae quibus est aliquid ens non simpliciter, sed secundum quid, ut omnes formae accidentales ; aliquae autem formae sunt quibus res subsistens simpliciter habet esse, quia videlicet constituunt esse rei subsistentis ». Hoc audivimus multoties dictum a S. Thoma : forma dat esse ; accidentalis, accidentale ; substantialis, substantiale. Prosequitur auctor : « In Christo autem suppositum subsistens est persona Filii Dei, quae simpliciter substantificatur per naturam divinam, non autem simpliciter substantificatur per naturam humanam : quia persona Filii Dei fuit ante humanitatem assumptam, nec in aliquo persona est augmentata, seu perfectior, per naturam humanam ». Hactenus nihil difficultatis occurrit. Accipe sequentia, quibus recitatis, Tiphanus quasi nihil dubius (de Hyp. et Persona c. 33) duxit scribendum : « Haec S. Thomas. Quibus nihil clarius ? » nempe pro sententia duplicis esse quam ipse tuetur. Pergamus igitur in legendo. « Substantificatur tamen suppositum aeternum per naturam assumptam, non simpliciter, sed in quantum est hic homo ». Nimirum, habet a natura divina quod substantia sit et hypostasis ; ab humana, quod sit homo (praedicatum substantiale). Sequitur in textu : « Et ideo sicut Christus est unum suppositum et *unum simpliciter* ob unitatem suppositi, et duo *secundum quid* propter duas naturas ; ita *habet unum esse simpliciter* propter unum esse aeternum aeterni suppositi, et *aliud esse* hujus suppositi, non in quantum est aeternum, sed in quantum est temporaliter homo factum, quod *esse*, etsi non sit accidentale, quia homo non praedicatur acciden-

taliter de Filio Dei, non tamen est principale sui suppositi, sed *secundarium* ». Ecce tibi duo esse : esse aeternum, et esse temporaneum ; illud, esse simpliciter et principale, istud, non accidentale quidem, sed secundarium. « Et clarius eadem quaestione a. 1 ad 10, inquit Tiphanus ibidem : « Esse est et personae subsistentis et naturae in qua subsistit, quasi secundum illam esse habens. Esse igitur personae Verbi incarnati est unum ex parte personae subsistentis, non autem ex parte naturae ».

Objectionem dixi ; nunc respondendum, atque id quod objicitur, explicandum. Quod ut fiat, tria animadvertenda sunt quae tacuit Tiphanus. Unum est quod in Quaestione de Unione (a. 2 in corp., et ad 3, 10, 13, 17) iterum atque iterum asseritur hoc solum et hoc totum habere personae rationem quod est naturae completae, ac *in se existit*. Hinc partes substantiae compositae, puta corpus, manus, etsi singulares sint, non sunt hypostases. Manus, inquit, « etsi pertineat ad genus substantiae, quia tamen non est *substantia completa in se subsistens*, non dicitur hypostasis, suppositum seu persona. Sic igitur, quia humana natura in Christo *non per se separatim subsistit*, sed existit in alio, i. e. in hypostasi Verbi Dei, non quidem sicut accidens in subjecto, neque proprie sicut pars in toto, sed per ineffabilem assumptionem : ideo humana natura in Christo potest quidem dici individuum aliquod, vel particulare, vel singulare ; non autem potest dici vel hypostasis, vel suppositum, vel persona » (art. 2). Quid autem sit illud *subsistere?* satis indicatur ibid. a 17 : « Anima et corpus unita constituunt hypostasim, si *per se existat* id quod ex utroque componitur ». Quid autem *per se existere*,

nisi suum ipsius esse habere, seu non existere per alium aut aliud. Quod iis indubium esse debet quibus idem est auctor hujus Quaestionis et Comm. in Sententias, nempe S. Thomas. Scripsit enim : « Subsistere dicitur aliquid, in *quantum est sub esse suo* » (1 D. 23 q. 1 a. 1 ad. 2 et 3) (1). Nec, de caetero, sensus alius occurrere consideranti potest.

Alterum notandum est, quod in a. 4 de Unione legitur : « Sed contra (assertum scilicet quo duplex esse ponitur) : « Quidquid est unum simpliciter, est unum secundum *esse*. Sed Christus est unum simpliciter, ut supra habitum est. Ergo in eo est unum esse ». Quod iterum e diametro repugnat sententiae duo esse praedicanti. Tertium est quod, in ipso corp. articuli illius quarti, scriptum est : « Respondeo dicendum quod hujus quaestionis est quodammodo eadem ratio et praemissae (in qua quaerebatur utrum Christus sit unum ?) ; quia ex eodem dicitur aliquid esse *unum et ens* ». Quid porro dixerat in illa praemissa quaestione (a. 3) ? Hoc habes in conclusione : « Quia igitur Christus est unum suppositum habens duas naturas, sequitur quod sit unum simpliciter (ob unitatem hypostasis) et duo secundum quid (ob dualitatem naturae) ». Et ad 5 ibidem : « Quia ergo suppositum humanae naturae et divinae in Christo, secundum quod accipitur in sua singularitate discretum, est unum et idem in duabus naturis determinatis ; est quidem *simpliciter unum* secundum seipsum, *secundum quid autem duo*, in quantum scilicet habet duas naturas ». Ideo sancti Patres nonnunquam dixerunt, quin unitatem personae negarent, alia

(1) V. Sup. p. 12, 102, et alibi passim.

egisse Christum in persona hominis, alia in persona Dei Verbi. Haec articulus tertius. Sed quartus, de quo disputatur, *ejusdem rationis* est, quia ex eodem aliquid est *unum et ens*, inquit Auctor. Quemadmodum ergo suppositum unum est ratione sui, secundum quid autem duplex, pro duplici natura in qua subsistit; sic ipsum *esse* simpliciter unum numero est, duplex tamen *secundum quid*, quia nimirum idem est duarum naturarum, divinae per identitatem, humanae propter assumptionem.

Quae quidem interpretatio per hoc commendatur quod respondeat plane verbis objectis, et praeterea cum antecedenti doctrina quaestionis ejusdem mire cohaereat. Egregie quoque cohaeret cum doctrina S. Thomae caeteris in Operibus (i. e. 3 p. q. 17 a. 2, et III D. 6 q. 2 a. 2) ubique propugnata. Unam sententiam recolo jam citatam. Objecerat sibi, quod *esse* Filii Dei est aeternum, *esse* autem hominis Christi est temporale; ergo *duplex esse*. Cui objectioni non respondet id negando quod in antecedenti ponebatur, sed explicando cur et quomodo possit uni et eidem esse convenire quod sit esse Dei et esse hominis, esse aeternum et esse temporale; duplex nempe secundum quid. « Dicendum quod *illud esse aeternum Filii Dei quod est divina natura, fit esse hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitatem personae* » (3 p. q. 17 a. 2 ad 1). Eodem sensu legitur scriptum in Quodl. 9 a. 3 ad 3: « Dicendum quod generatio temporalis terminatur non ad *esse* suppositi aeterni ut per eam simpliciter esse incipiat; sed quod incipiat esse suppositum habens illud *esse* suppositi humanae naturae ». Esse igitur Verbi fit esse hominis, quomodo persona Verbi fit hominis persona, nova scilicet induta habitudine et personae et esse

personalis praeexistentis. Ex quo intelligitur quo sensu S. Doctor ibidem dixerit: « Habet unum esse, habet aliud esse » ; unum et aliud non ratione ipsiusmet esse in se spectati, sed ratione alius et alius habitudinis ad aliam aliamque naturam : quibus positis, unus et idem Christus existit Deus et existit homo, Deus aeternaliter, temporaliter homo.

CAPUT V

Quaestio plane dogmatica de compositione personae Christi ex iisdem principiis dirimitur.

Quanti momenti sit haec quaestio, Concilia Patresque diserte significarunt tum in suis de fide decretis, tum in operibus adversus haereticos directis. Scilicet ejusdem erroris esse putarunt si negetur ejusmodi compositio, quam si vel duae personae, vel una tantum natura Christi dicantur. « Unitio enim per *compositionem* in mysterio Christi non solum *inconfuse* ea quae convenerunt, conservat, sed nec *divisionem* suscipit », inquiunt Patres Concilii V can. 4. Et in Synodo VI lecta et approbata est epistola S. Sophronii ad Sergium, in qua adversus haeresim utramque Nestorii et Entychetis scribitur : « Unum Christum profitemur, et Filium incarnatum Verbum colimus, et *unam ejus hypostasin compositam dicimus* et in duabus eum annuntiamus naturis » (Hard. T. III p. 1269). Adeantur, si placet, Petavius de Incarn. L. III c. 12 et Thomassin. de Incarn. etiam. L. III c. 6. Momentum quaestionis acute notavit Angelicus. Hinc antiquis illis theologis qui vel unionem accidentalem corporis et animae seorsum cum Verbo, vel unionem in unitate personae, non item in unitate suppositi, incaute defenderant, graviter exprobrat quod his suis placitis *compositionem personae* tollant, eaque sublata, dualitatem personarum inducant. Confer III D. 6 q. 2 a. 3, et 3 p. q. 2 a. 4; ex quibus locis ea omnia sumemus quae mox erunt afferenda. At

vero S. Doctor id quoque sentit, compositionem illam inniti totam in doctrina qua profitemur unum *esse* Verbi incarnati.

Et primo quidem, animadvertit, quae nostra fides est, personam Christi secundum illud quod est in se, prout aeternaliter existit, non esse compositam, sed simplicem omnino, sicut et natura Verbi ; quare, si quae sit compositio, totam esse quaerendam illam in eadem persona quatenus subsistit in naturis duabus, divina scilicet et humana. Caeterum, quod et ipsi Patres non semel annotarunt, persona Christi « non dicitur (solum) composita secundum expositionem nominis, quasi cum alio posita » (in Sent. l. c.) ; is enim modus compositionis locum habiturus esset etiam in sententia Nestorii : nam per ipsum persona divina cum humana *ponitur*, et vice versa. Insuper, de natura utraque, divina scilicet et humana recte praedicatur, cum una cum altera posita sit in una Christi persona. Quod ergo quaeritur hoc est, utrum ipsa persona possit dici composita ratione duarum naturarum in quibus subsistit. Accipe primo solutionem quam S. Doctor tradidit in III Sentent. D. 6 q. 2 a. 3 : « Respondeo dicendum quod ad rationem *totius* pertinent duo. Unum scilicet quod *esse* totius compositi pertinet ad omnes partes, quia partes non habent esse proprium sed sunt per esse totius, ut dictum est (1). Aliud est quod partes componentes causant esse totius ». Quibus dictis infert : « Secundum autem tertiam et primam opinionem neu-

(1) Anima tamen humana, uti saepe dictum est, habet ipsa suum esse, quod fit esse compositi. Sed ipsa per seipsam sola nec est tota natura, nec sine corpore constituit potentiam in qua humanum esse *connaturaliter* recipiatur.

Qua autem ratione partes componentes *esse* totius principient, declaratum habes sup. p. 39.

trum horum invenitur in Christo (1), quia opinio prima dicit quod hic homo habet *esse suum* proprium, unde esse divinae personae ad ipsum non pertinet; similiter tertia opinio dicit quod est esse superadditum ad esse divinae personae accidentaliter : unde anima et corpus non dicuntur partes personae, sicut nec accidentia subjecti : unde neutra ponit personam Verbi compositam. Sed secunda (catholica scilicet) ponit unum esse in Christo : unde esse divinae personae pertinet ad utramque naturam. Non tamen illud esse causatur ex conjunctione naturarum, sicut esse compositi causatur ex conjunctione componentium. Unde secundum hanc opinionem persona Christi post Incarnationem potest dici aliquomodo composita, in quantum ibi salvatur aliqua conditio compositi ; non tamen est ibi vera ratio compositionis, quia deficit ibi altera conditio : unde etiam non est in usu modernorum hanc opinionem tenentium quod dicant personam compositam ». Haec S. Thomas in art. corpore. Ad quartum autem adnotat, « quod, quamvis compositio quantum ad aliquid salvetur in incarnatione Verbi, nullo tamen modo est ibi ratio partis. Divinitas enim pars esse non potest, propter imperfectionem quae est de ratione partis ; humana autem natura similiter non potest esse pars, quia compartem non habet, vel etiam quia non causat esse personae quae dicitur composita ». Et ad secundum : « Dicendum quod persona non dicitur composita, quasi esse suum sit ex multis constitutum : hoc enim est contra rationem aeterni ; sed quia ad multa se extendit (ad corpus, animam),

(1) Has opiniones habes expositas super. p. 95. Quam autem in Sentent. appellat secundam, hanc in Summa (3 p. q. 2 a. 6) dicit sententiam catholicam fidei.

quae assumuntur *in illud esse* » praeexistens et aeternum.

Concludit igitur S. Doctor personam Verbi incarnati dici posse compositam, « quia est ibi aliquid de ratione compositionis », hoc est, unitas actus essendi qui pertinet ad omnia componentia, scilicet ad divinam et ad humanam naturam ; « non quod sit simpliciter composita quantum ad perfectam rationem compositionis » (ib. ad 5), quia non constat ex partibus, id est ex principiis quae non habeant esse singulis proprium, sed concurrant ad constitutionem totius compositi cui soli primo competit esse.

Animadvertendum autem est quod imperfectiones illae compositorum finitorum, etsi sint de ratione compositionis substantialis quae in toto creato cernitur, non pertinent tamen ad rationem compositionis secundum se consideratae : haec enim hoc tantum requirit ut distincta plura concurrant in unum. Quare, merito compositum ex pluribus illud dicitur in cujus esse plura conveniunt, sive compositio sit *ratione partium*, sive potius *ratione numeri*. Ad hunc ergo modum S. Thomas in Summa (3 p. q. 2 a. 4 ad 1) hypostasim Christi pronuntiat esse simpliciter compositam ex naturis ; quia scilicet una et altera convenit in uno et eodem esse personali Verbi, humana quidem per assumptionem ad hoc esse, divina vero per identitatem, quin tamen illud esse vel ex unione causetur, vel in aliqua re ex partibus resultante subjectetur. Et hoc est quod in articuli corpore brevius significat : « Unde licet ibi sit unum subsistens, est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi : et sic dicitur persona composita in quantum unum duobus subsistit », ut Deus in divina natura, ut homo in humana.

Nec objicere est, eam esse compositionis rationem quae defectum omnem a se non excludat. Hoc enim ad summam divinae personae dignitatem certius pertinet, quod assumat ad esse suum naturam aliquam a se diversam, quae nec efficiatur pars essentiae suae, sicut alimenta quae veniunt in nostram hypostasim, integritatem nostrae naturae perficiunt, nec ullomodo novum esse secum afferat.

Ultimo loco satis liquet ex praejactis quid respondendum erit quaerentibus, utrum humanitas Christi dicenda sit hypostasi vel intrinseca vel extrinseca : in quo nimium haeserunt nonnulli. Nodum enim solvit Angelicus in Summa (l. c.). « Dicendum, inquit, quod persona sive hypostasis Christi dupliciter potest considerari : uno modo secundum illud quod est in se ;... alio modo secundum rationem personae vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura ». Sub prima consideratione, humanitas est extrinseca ; sub altera, intrinseca. Quod recte consideranti perinde est ac si illa hypostasis diceretur sub alia et alia ratione simplex et composita : nam actum est de compositione non quae sit *hujus ad hoc* (extrinsecum), ut loquuntur Patres, sed quae sit *ex his*, videlicet subsistenti intrinsecis.

CAPUT VI

Compositum humanum in quo theandrico simile sit, in quo dissimile?

Quoniam frequens recurrit tum apud S. Thomam, tum apud Patres et in ipsis etiam Ecclesiae symbolis comparatio theandrici cum humano compositi, paucis ex S. Doctore declaranda illa est, tum ut Angelici doctrina certius innotescat, tum ut manifestius fiat unitatem hypostasis ab unitate substantialis actus essendi dependere. *Comparationem* porro dixi, ne scilicet quaeratur omnimoda similitudo. Quod monuit S. Thomas c. Gent. L. IV c. 41, ubi nostram hanc analogiam prosequitur. « Praedicta tamen exempla, inquit, non sic posita sunt, ut omnimoda similitudo sit in his requirenda. Intelligendum enim est Verbum Dei multo sublimius et intimius humanae naturae potuisse uniri quam anima qualicumque proprio instrumento ».

Et primum quidem caput similitudinis est quod, sicut anima et corpus existunt per unum et eumdem actum essendi, qui quidem est esse compositi, sed ita tamen ut ab anima sit in humano composito; ita non aliud et aliud est esse humanitatis et Verbi, sed idem omnino, quod est Verbi proprium et ad quod humanitatem assumpsit. Relege quae. L. I c. 6 scribebantur. Verum cum hac similitudine multae dissimilitudines conseruntur. Nam esse quod homini dat existere, non est esse vi sua consistens, sed esse receptum necessarioque sustentatum

tam in anima quam in natura composita per animam. At esse personale Verbi Dei per se subsistens est ; quod proinde nec in natura divina quacum unum et idem est, recipitur, nec in humana subjectari potest. Praeterea, non ante fuit *esse* animae quam ipsa corpori jungeretur : haec est enim ejus conditio maxime naturalis ut non actuet animam nisi materiae propriae copulatam (1 p. q. 90 a. 4 ; 3 p. q. 6 a. 4). AEternum autem est esse Verbi in cujus communionem adscita postmodum est humana Christi natura.

De secundo capite sic Angelicus : « Ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, naturae et personae. Naturae quidem, secundum quod anima unitur corpori formaliter perficiens ipsum ut ex duobus fiat una natura, sicut ex actu et potentia, vel materia et forma. Et quantum ad hoc non attenditur similitudo : quia natura divina non potest esse corporis forma, ut in prima probatum est q. 3 a. 8. Unitas vero personae constituitur ex eis, in quantum est unus aliquis subsistens in corpore et anima. Et quantum ad hoc attenditur similitudo : unus enim Christus subsistit in divina natura et humana » (3 p. q. 2 a. 1 ad 2). Nec tamen eodem plane modo constituitur hinc et inde unitas personae. Nam, ipso eodem auctore, nec anima seorsim nec corpus habent rationem hypostasis, sed compositum tantummodo. « Verbum autem Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim sive personam ; ex tempore autem advenit ei natura humana, non assumpta ad unum esse prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae (i. e. ad communicandum in esse naturae cum anima), sed ad unum esse prout est hypostasis seu personae » (3 p. q. 2 a. 6 ad. 2). Ex quo sequitur

aliud discrimen, nempe quod, dissoluto humano composito, nec anima separata persona est, nec materia corporea servaretur in esse, nisi compositum alterum ingrederetur. At vero, si Christus aliquando deponeret humanitatem quam assumpsit, pro una duae darentur hypostases, humana scilicet et divina, nisi contra naturalem rerum ordinem illam annihilaret.

Tertium caput similitudinis ex D. Thoma sic declaratur (c. Gent. L IV c. 41) : « In omnibus rebus creatis nihil invenitur huic unioni (Verbi cum humanitate) tam simile sicut unio animae ad corpus... Sed cum anima rationalis uniatur materiae et sicut materiae et sicut instrumento, non potest esse similitudo quantum ad primum modum unionis... Relinquitur ergo ut attendatur similitudo secundum quod anima unitur corpori sicut instrumento : ad quod etiam dicta antiquorum doctorum concordant qui humanam naturam in Christo organum divinitatis posuerunt, sicut et ponitur corpus organum animae. Aliter enim est animae organum corpus et ejus partes, et aliter exteriora instrumenta. Haec enim dolabra non est *proprium* instrumentum sicut haec manus : per dolabram enim multi possunt operari, sed *haec* manus ad propriam operationem *hujus* animae deputatur : propter quod manus est organum unitum et proprium, dolabra autem instrumentum extrinsecum et commune. Sic igitur in unione Dei et hominis considerari potest. Omnes enim homines comparantur ad Deum ut quaedam instrumenta quibus operatur : Ipse enim est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate, secundum Apost. Philip. II. Sed alii homines comparantur ad Deum quasi instrumenta extrinseca et separata : moventur enim a Deo non ad operationes *proprias sibi tan-*

tum, sed ad operationes communes omni rationali naturae, ut est intelligere veritatem, diligere bona, et operari justa. Sed humana natura in Christo assumpta est ut instrumentaliter operetur ea quae sunt operationes propriae solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam, et introducere in perfectionem vitae aeternae. Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum proprium et conjunctum, ut manus ad animam. Nec discrepat a rerum naturalium consuetudine quod aliquid sit naturaliter *proprium* instrumentum alicujus, quod tamen non sit forma ipsius : nam lingua prout est instrumentum locutionis, est *proprium* organum intellectus : qui tamen, ut Philosophus probat, nullius partis corporis actus est... Nihil igitur prohibet secundum hunc modum ponere unionem humanae naturae ad Verbum, quod humana natura sit quasi Verbi instrumentum non separatum, sed conjunctum ; nec tamen humana natura ad naturam Verbi pertinet, pertinet tamen ad personam ». Quod quidem ea tantum conditione fit, si fuerit unitas actus essendi : hac enim dempta, nihil superest quod assignari possit ut vinculum substantiale conjungens instrumentum agenti principali, nempe Verbo. Quibus rite intellectis, manifestum est analogiam istam, ex mente S. Doctoris, unitati substantialis esse tanquam fundamento, quotquot illius capita sint, insidere.

CAPUT VII

Quod unitas actus substantialis essendi non obstet quominus Filius solus sit incarnatus.

Aggressus hanc tanti momenti quaestionem, S. Thomas duplicem solutionem exhibuit, alteram generaliorem, specialem alteram. Utramque dabimus. Et prima quidem ab hoc principio procedit : cum plura in uno sunt idem, quod uni convenit sub ea ratione sub qua sunt idem, necesse est omnibus conveniat ; quod autem convenit uni sub ea ratione sub qua eadem illa distinguuntur, non necessario competit omnibus. Sed tres personae divinae ita sunt idem sub ratione naturae, ut sub ratione personae distinguantur ; ergo quae nonnisi sub formali ratione personae conveniunt, ut incarnari, possunt uni competere quin simul et semel aliis competant. Cf. S. Thom. (3 p. q. 3 a. 2, ad 2 ; col. a. 4 ; it. IV c. Gent. c. 39). Rem illustrat analogiis et exemplis (III D. 1 q. 2 a. 1) : « Homo, inquit, et asinus communicant in animali, et ideo quidquid communicat cum asino in genere, communicat etiam cum homine. Sed quia homo et asinus differentiis etiam specificis distinguuntur, non oportet quod quidquid convenit cum asino in differentia specifica, conveniat cum homine similiter. Et ita etiam est in potentiis animae, quia omnes radicantur in essentia una numero. Unde, cum anima uniatur corpori dupliciter, et secundum essentiam, ut est forma ejus, et secundum potentiam, ut est motor ipsius vel operans per ipsum ;

necessarium est ut anima quae unitur oculo et quantum ad essentiam animae, in quantum perficitur oculus in esse specifico, et secundum rationem visivae potentiae, prout efficitur instrumentum videndi, conjungatur etiam linguae, quantum ad essentiam animae, non quantum ad rationem potentiae ejusdem : eadem enim essentia animae quae est in oculo, est in lingua ; sed ibi secundum potentiam visivam, hic secundum potentiam gustativam ; et, quod plus est, aliqua potentia est quae nulli parti corporis conjungitur quantum ad rationem potentiae, ut intellectus, sed solum quantum ad rationem essentiae. Dico ergo quod tres personae distinguuntur quidem in personalitate, sed conveniunt in natura. Unde quidquid uniretur Filio in natura, de necessitate uniretur Patri ; non autem oportet, si aliquid uniatur Filio in persona, quod uniatur Patri. Non enim ponimus incarnationem Filii esse hoc modo ut sit unio facta in natura, sed solum in persona ; et ideo non oportet quod ponamus Patrem incarnatum, sicut non oportet quod si potentia visiva sit actus corporis, intellectus sit actus corporis, quamvis conveniant in una essentia animae ».

Si quis autem objecerit assumptionem carnis, cum sit operatio quaedam divina, communem esse tribus personis, non secus ac ipsa natura, responsum est in promptu. « Dicendum quod assumere duo importat, scilicet et actionem et terminum unionis : dicitur enim assumere, quasi ad se sumere. Quidquid ergo actionis importatur in hoc verbo, totum est commune tribus... sed terminus unionis est solum persona Filii, non Patris ; et ideo Filius carnem assumpsit, et non Pater vel Spiritus S. ». (III D. 1 q. 2 a. 1 ; col. 3 p. q. 3 a. 4). Uniunt ergo naturam et Pater et Filius et Spiritus sanctus ; sed Filius

sibi, Pater et Spiritus S., Filio. « Et est exemplum, inquit S. Bonaventura, si tres puellae vestiunt unam vestem ; vestis induitio est a tribus ; non tamen tres induuntur, sed una sola ». Nec, quia natura divina saltem improprie dicatur assumpsisse, simile quid de Patre vel Spiritu S. profitendum est : deest enim in ipsis ratio propter quam id de essentia praedicatur, scilicet identitas omnimoda cum persona assumente. Sed haec, inquiebam, generalior est solutio.

Restat ut specialem tradamus, quam accipiemus et ipsam a S. Doctore. Porro sic ille proposuit difficultatem (III D. 6 q. 2 a. 2), de unitate actus essendi disputando : « Unum est esse Filii Dei et Patris. Si ergo unum est esse hujus hominis et Filii Dei, unum erit esse hujus hominis et Dei Patris. Sed nulla major unio quam ea quae est aliquorum secundum esse. Ergo humanitas est unita Deo Patri ». Jam, audita objectione, responsum audias : « Ad secundum dicendum quod aliud est de Deo et aliud de omnibus aliis rebus, quia in Deo ipsa essentia subsistens est, unde sibi secundum se debetur esse, imo ipsa est suum esse subsistens. Unde essentia a persona non differt secundum rem ; et ideo *esse* essentiae est etiam *esse* personae ; et tamen essentia et persona *ratione* differunt. Quamvis ergo unum sit esse, potest tamen esse considerari, vel *prout est essentiae*, et sic non unitur humanitas in esse divino, unde non unitur Patri ; vel potest considerari *prout est personae*, et sic unitur in esse divino ». Hactenus S. Thomas, cujus meditanda objectio est et solutio. Et quidem illa mirum extenuaretur, si iis assentiremur qui, sicut tres personas in Deo distinguunt, trinum etiam *esse*, nempe relativum, posuerunt. Lege Suarez (de Deo trino L. III

c. 5). At tenenda sententia est S. Thomae, qui constanter unum esse praedicat, ut videre est Quodl. 12 a. 1; de Pot. q. 9 a. 5 ad 19; I D. 8 q. 1 a. 1; 3 p. q. 17 a. 2 ad 3, etc.). Quare manet integra difficultas, et aliunde petenda solutio, quae tota continetur ultimis Angelici verbis.

Nimirum illud *esse* spectari potest ut est *esse personae*, i. e. quatenus in singulis et a singulis personis modo sibi proprio, vi relationis, seu hypostaticae proprietatis habetur: ex quo fit ut esse personale Filii, qua Filii, non sit esse personale Patris aut Spiritus sancti. Itaque, Filius potest per esse suum eminentissime supplere vices esse creati; seu, quod in idem recidit, trahere naturam humanam in communionem esse personalis sui, quin hoc ipso trahatur illa eadem ad esse personale caeterarum hypostaseon. Verbum enim illud habet modo sibi ita proprio, ut *ipsum sit distinctum subsistens* in natura divina: distinctum, inquam, non ratione ipsiusmet esse, sed ratione relationis qua refertur et opponitur aliis a se personis.

Quod quidem aliqua analogia nonnihil illustrari potest. Interroganti, *quo* Pater generat? respondetur: Naturâ. Objicienti vero naturam esse tribus personis communem, ac propterea si natura, tanquam primo principio generatur, tres personas generare, non unam, occurritur eadem illa distinctione quam supra dabamus: nempe Pater generat per naturam, sed ita tamen ut natura non sit principium quo Pater generat, nisi quatenus implicat proprietatem seu notionem Patris distinctivam. Cf. 1 p. q. 41 a. 5; de Pot. q. 2 a. 2 (1). Sic in humanis princi-

(1) Hoc sensu et modo explicari potest celebris formula S. Cyrilli

pium primum quo quis generat, est *natura*, non quidem prout est communis, sed ut est determinata per has aut illas proprietates individuantes (Id. ibid.). Itaque sicut Pater generat secundum essentiam quae de se communis est, ita Filius assumit humanitatem secundum esse quod et ipsum est commune. Rursus, sicut Pater solus generat, quia principium quo generat, veluti determinatur proprietate personali sua, ita Filius solus assumit humanitatem, quia principium secundum quod illam unit sibi, personali sua proprietate definitur. Paucis : Pater generat per essentiam ut subsistens distinctum ; Filius ut subsistens distinctum trahit ad suum esse naturam humanam, et ideo nec generare, nec incarnari sunt communia.

Alex. : una natura Verbi sed incarnata ; ita scilicet ut natura Verbi sit incarnata non ut est communis, sed *ut est Filii*, i. e. ut est velut affecta caractere notionali filiationis. Cf. Franzel. (de Incarn. th. 35). Hoc etiam sensu, teste Petavio (de Incarn. L. V. c. 7 n. 7), S. J. Damascenus diversam singulis personis divinis existentiam ὕπαρξιν attribuit (L. *de Duabus Volunt.* P. G. T. 95 p. 136), quatenus « existentia eadem, distinctis et oppositis proprietatibus ac modis affecta, diversa dicitur », i. e. distincto modo habita, ut loquitur Petavius.

CAPUT VIII

Quod et quomodo, salva unitate esse et entis, unio Verbi cum humanitate facta sit in unitate personae, non item in unitate naturae ?

In creatis nunquam invenire est unionem substantialem quae fiat in unitate personae vel suppositi, quin naturâ prius effecta sit in unitate naturae : cujus ratio est quod, ut duo conveniant in unum esse, convenire primo debeant in substratum unius illius esse quod est una natura vel essentia : neque enim esse creatum in se subsistit, sed in natura tanquam in potentia subjectante et finiente recipitur (1), ac proinde tot esse debent actus existendi substantiales quot naturae, neque plures neque pauciores. E converso, plane repugnat ut humanitas cum divina Verbi natura concurrat in unam essentiam, sitque nova quidditas ex ambabus conflata tanquam ex partibus constitutivis. Id enim respuit et nostra fides et ipsamet ratio secundum quam « divina natura non habet aliquid potentialitatis, nec potest esse actus veniens in compositionem alicujus, cum sit esse primum infinitum per se subsistens » (III D. 5 q. 1 a. 2). Hinc enascitur difficultas sane gravissima, quae tamen pari modo

(1) Toties S. Thomas id affirmat quoties exhibet esse creatum ut actum qui comparatur ad essentiam ut ad potentiam sui receptivam ; quoties docet illud idem ab esse divino per hoc distingui quod divinum est subsistens et irreceptum, creatum vero, « receptum *in aliquo* per quod contrahitur », « adhaerens substantiae », « accidens non quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cujuslibet substantiae ». Cf. Quodl. 2 a. 3, et sup. pp. 30, 31, 36, etc.

theorias omnes de Unione premit, quî fieri possit ut sit concursus in unam personam, quin hoc ipso nova natura consurgat? Certe non solvitur nodus si tantummodo respondeatur humanam naturam nonnisi mediate, id est, mediante persona, unitam divinitati fuisse : nam ipsamet persona nihil, quod ad rem spectat, a divina natura distinguitur. Hinc recte dixit S. Doctor, unitas esse naturas, sed *in persona :* quo quidem dicto solutio tota continetur.

Quapropter ad objectionem hoc modo propositam : « Persona Dei non est aliud a natura ipsius... Si ergo unio non est facta in natura, sequitur quod non sit facta in persona » ; respondet (3 p. q. 2 a. 2 ad 1) : « Dicendum quod, licet in Deo non sit aliud secundum rem natura et persona, differt tamen secundum modum significandi, sicut dictum est : quia persona significat per modum subsistentis (1). Et quia natura humana sic unitur Verbo, ut Verbum in ea subsistat, non autem ut aliquid addatur ei ad rationem suae naturae, vel ut ejus natura in aliud transmutetur ; ideo unio humanae naturae ad Verbum Dei facta est in persona, non in natura ». Simile quid scriptum legimus de Unione V. Inc. a. 1 ad 2 : « Quamvis in divinis natura et suppositum sive persona non differant realiter, differunt tamen ratione, ut dictum est. Et ideo quia idem est subsistens in natura

(1) Attende, velim, et intellige. Persona, inquit, significat per modum *subsistentis*. Te enim quaerente, quis est qui est, subsistit, habet esse, respondebitur : Hic vel ille, Pater, Petrus, id est, persona. Natura autem non significat per modum subsistentis : cum enim natura nominatur, intelligimus essentiam, id est, id quo quid est hujus vel illius speciei, id etiam quo quis primo operatur. Quapropter, etsi, de Deo dicta, vocabula illa significent idem, idem illud non significant sub eadem ratione seu functione.

divina et humana, non autem eadem essentia ex utraque componitur, inde est quod unio facta est in persona ad cujus rationem pertinet subsistere, non autem ad naturam quae importat essentiam rei ». Aliud igitur significatur per hoc quod dico unionem *in natura*, et aliud per hoc quod dico unionem *in persona*, cum alius et alius modus unionis alia et alia formula contineatur. Scilicet, quia nomine naturae et essentiae denotatur id praecise quod his conceptibus respondet, unio secundum naturam et essentiam eo tenderet ut Deus et creatura in unam naturam essentiamve confluerent. Quia vero nomine personae formaliter denotatur eadem summa res ut est hic aliquis distincte subsistens in divina natura, non consequitur id uniri secundum naturam quod ad personam assumitur.

Sed altius, duce S. Thoma, fodiendum est. *Subsistere in* aliqua natura substantiali nihil aliud est quam existere per esse suum in hac natura. « Subsistere dicitur aliquid in quantum est sub esse suo... Subsistere duo dicit, scilicet esse (nempe sub esse suo) et determinatum modum essendi... quae determinatio essendi est ex natura vel quidditate » (I D. 23 a. 1 ad 2 et 3). Subsistit in natura divina Filius, et ita quidem, ut ex illa et in illa sit Deus ; subsistit in humana per quam habet ut sit homo. Porro, quod humana Christi natura cum ejus divinitate communicet in esse, satis non est ut in unam essentiam natura cum natura concurrat : neque enim unio fit cum divinitate formaliter ut haec habet rationem naturae, sed cum eadem ut est esse Filii ; nec ut novum exurgat operandi principium, sed ut humanitas habeat ex unione consistentiam extra nihil. Quae enim est distinctio rationis inter essentiam et personam, eadem ipsa

est inter essentiam et esse personale Filii (1), cum illa summa res quae Deus est, una eademque simplicissima sua perfectione quidquid sub utriusque conceptu venit, exhibeat et expleat.

Neque locus est timendi ne diversa consurgat natura composita, quod humanitas cum esse divino communicet : nam, praeter quam quod esse divinum, quippe quod sit actus undequaque purissimus et infinitus, recipi non potest in subjecto quod actuet ut causa formalis, nec in creaturis etiam ex compositione qua coeunt essentia et esse, resultat res tertia, seu composita quaedam essentia quae sit ex utroque conflata (2), uti S. Thomas Quodl. 2 a. 3 pluribus docuit. « Esse enim non est aliud quam actualitas substantiae vel essentiae » (1 p. q. 54 a. 1) : actualitas, inquam, non pars, neque proprietas, ut quidam impropriissime loquuntur.

Caeterum, non desunt analogiae quae nos in aliquam tanti mysterii intelligentiam manuducant. Sane, nobis accidunt multa quae personae nostrae sic junguntur, et in persona insunt, ut naturam humanam nostram in aliam naturam compositione sui minime trahant. « Persona non recipit additionem distinguentium ipsam et complentium in esse personae, secundum quae completa esse dicitur ; sed aliorum quae personalitatem non causant, non est inconveniens ut additionem recipiat (non mutata scilicet ejus natura) : sicut Sortes recipit additionem scientiae, nutrimenti et hujusmodi... (III D. 5 q. 2 a. 1 ad 1). Rursus (3 p. q. 3 a. 1. ad 2 ; col. in corp. et Quodl. 2 a. 4) : « Non est contra rationem personae sic communicari ut subsistat in pluribus naturis :

(1) V. sup., p. 26.
(2) V. sup., p. 46.

quia etiam in personam creatam possunt plures naturae concurrere accidentaliter ; sicut in persona unius hominis invenitur quantitas et qualitas. Hoc autem est proprium divinae personae propter ejus infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam ». Cave tamen, ut in utroque textu monuit te doctor Angelicus, ne quod ad modum analogiae cujusdam propositum est, convertas in paritatem. Unio enim in persona quae accidentium est, fit secundum inhaerentiam, et affert subjecto esse quoddam accidentale ; unio autem humanae naturae facta est secundum subsistentiam, ita nimirum ut nullum esse per seipsam afferret, nec substantiale nec accidentale, sed causaret tantum « novam habitudinem esse personalis praeexistentis », vi cujus Verbum denominatur et est homo.

CAPUT IX.

Utrum, ut Verbum et humanitas uniantur, necesse sit aliquid creatum intervenire, quod sit per modum vinculi seu nexus intermedii? Quid de relatione unionis sentiendum? Quae demum sit ratio stricta unionis hypostaticae?

Infinita ferme sunt quae Theologi, saeculo praesertim XVII et XVIII, de quidditate seu natura unionis hypostaticae disseruerunt ac inter se disputarunt : aliis pro modo substantiali unionis, aliis pro relatione media pugnantibus (1). Quae S. Thomas hac de re senserit tradideritque, paucis comprehendemus.

Et primo quidem, doctrina S. Doctoris est, inter humanam naturam assumptam et assumentem personam nihil intercedere per modum vinculi, sive illud accidens, sive substantiale quid esse dixeris. Et generatim quidem id efficitur ex doctrina quam tradidit, ubi de materia et forma, de potentia et actu tractandum erat. Docuit enim post Aristotelem (VIII Metaph. l. 8) eos errare vehementer qui copulam aliquam mediam posuerunt inter animam et corpus, formam et materiam, « sicut inter ea quae sunt penitus diversa. Nulla enim causa est faciens unum ea quae sunt composita ex materia et forma, nisi quod (efficienter) movet potentiam ad actum ». Et alibi (nempe 1. 2 q. 49 a. 1; col. q. 110 a. 1 ad 2) : « Quaedam

(1) Haec fuse declarata tibi dabit Fr. Schmid, *Quaestiones selectae ex Theol. dogmat.*, q. 5, p. 340-428. Paderbornae, 1891.

sunt in quibus nihil est medium inter habens et id quod habetur, sicut inter subjectum et qualitatem vel quantitatem nihil est medium... Inter formam autem et materiam non cadit aliquod medium, quia forma per seipsam informat materiam vel subjectum ». Causam reddidit (II c. Gent. c. 71) quod « per se competit formae quod sit actus corporis », quoniam ex intrinseca rei natura potentia et forma altera ad alteram ordinantur. Quare, cum hypostasis divina rationem eminentissimam actus habeat, ad humanitatem comparata, hanc sibi, nulla interjecta copula, devincit. Nec illi qui contradicunt, theologi negant in hac re parem esse conditionem unionis inter Verbum et naturam assumptam, quae est unionis inter potentiam et actum ; quippe qui mediam unionem utrobique defendant.

Sed, quod ad praesentem quaestionem speciatim attinet, totus est S. Doctor in eliminando distincto quovis cujusve generis vinculo. Quaerens utrum humanitas assumpta fuerit, mediante gratia, distinctis primo gratia quae dicitur ipsa voluntas Dei gratis aliquid dantis, et gratia qua significatur ipsum gratuitum donum Dei, respondet, primam quidem gratiam essentialiter requiri, cum haec tanta sublimatio naturae humanae facultatem omnem, omnemque exigentiam creaturae superet. Altera vero, quatenus contradistinguitur ab hoc quod est humanam naturam substantialiter unitam esse personae divinae, seu quatenus est gratia quaedam habitualis, ibi locum non habet, neque per modum dispositionis ad unionem, neque per modum vinculi, sed unice per modum proprietatis veluti naturaliter unionem consequentis. Cf. S. Thom. (3 p. q. 2 a. 10 et 12). Quod quidem valet ut excludatur realitas qualiscumque media, non

accidentalis solum quae faceret unionem tantum accidentalem, sed etiam illa substantialis quam plurimi finxerunt. Universim namque S. Doctor pronunciat « quod in unione naturae humanae ad divinam, nihil potest *cadere medium formaliter unionem* causans..., sicut inter materiam et formam nihil cadit medium... alias esse accidentale esset prius substantiali : quod est impossibile » (III D. 2 q. 2 a. 2). Nec vero te moveat illa ratio quae pro opposita tuenda sententia constanter ingeritur, aliquid demum assignandum esse, quo posito, Deus sit aliter et sublimius in anima Christi quam in aliis. Hujusmodi enim rationi sic occurrit Angelicus : « Dicendum quod hoc quod Deus est in anima Christi vel in natura assumpta alio modo quam in aliis creaturis, non est per aliquam dispositionem advenientem, *sed per ipsum esse personae divinae quod communicatur naturae humanae* » (III D. 13 q. 3 a. 1 ad 8). Et si quis urgeat justis non dari Spiritum S., quin novus effectus in creatura producatur ; ac propterea novam quoque realitatem in assumpta natura produci debere, respondet (ib. ad 9) : « Dicendum quod Spiritus Sanctus dicitur dari de novo non secundum mutationem suam, sed mutationem creaturae, quae est *in perceptione doni ipsius ;* et ita etiam Filius Dei dicitur uniri naturae humanae, non per mutationem Filii Dei, sed per exaltationem ipsius, non ad aliquod donum creatum, sed *ad ipsum esse increatum personae divinae :* natura enim unitur immediate personæ quantum esse » (ib. in corp.).

Fac autem huic solutioni non acquiescatur, et iterum opponatur unionem cum Deo per fruitionem beatam, non intelligi sine dono quodam creato ; atque adeo multo minus unionem in persona ; ibidem (ad 7) regeret S. Doctor « quod unio quae est per fruitionem, est unio per ope-

rationem ; et quia ad operationem perfectam non potest natura humana nisi mediante aliquo habitu, ideo oportet ibi esse aliquam habitualem gratiam quae sit principium illius unionis. Sed unio *in persona est unio ad esse :* inter humanam autem naturam et esse quod habet in persona non potest cadere medium quod sit principium illius esse. » Et haec quidem, ut antea dictum est, ita comparata sunt ut omnem omnino realitatem physicam ab extremis distinctam removeant.

Sed quia sunt nonnulli quibus exclusa non videatur realitas *modi substantialis*, etsi medium quodvis accidens seponi debeat, pauca quaedam de modis illis addenda sunt. Hos expugnavit Tiphanus (Op. c. c. 40-70), ostendens esse recens inventum, antiquis sive philosophis sive theologis incognitum (1), illudque pugnantes inter se terminos involvens, perinde ac si diceretur *accidens substantiale ;* tum denique supervacaneum, quippe quod nihil conferat ad usus pro quibus excogitatum est, id est ad constituendam hypostasim ac ad unionem substantialem formaliter efficiendam. Et meo quidem judicio sic pugnavit ut vinceret. Unum autem argumentum protulisse sufficiet, et hoc ex doctrina S. Thomae *de accidentibus*. Discrimen enim inter formam substantialem et formam accidentalem in hoc ubique reponit, quod « forma substantialis facit esse simpliciter et ejus subjectum est

(1) Id est quod praecipui modi substantialis patroni vel simpliciter vel quadamtenus ipsi confessi sunt ; e quibus Vasquez modum illum unionis hypostaticae dicit « nunquam fortasse venisse in mentem SS. Patribus, eumque scholastica disputatione non multis abhinc annis inventum esse » (in 3 p. D. 41 c. 4 n. 22) ; et Suarez (Metaph. D. 7 S. 1 n. 13 et 14) : « Ex his, inquit, et similibus Aristotelis testimoniis nullum firmum pro hac sententia de modali distinctione argumentum desumi potest ; et idem sentio de D. Thoma et de aliis antiquioribus » Cf. D. 34S. 5 n. 4.

ens in potentia tantum, forma autem accidentalis non facit esse simpliciter, sed esse tale, aut tantum, aut aliquomodo se habens; *subjectum enim ejus est ens in actu* » (1 p. q. 77 a. 6) (1). Verte nunc et reverte modum illum substantialem unionis, et tibi constanter occurret ut forma cujus subjectum sit ens actu, maxime si suam existentiam humanitati concesseris. Quare si medium illud sit quo formaliter humanitas Verbo conjungitur, unionem esse accidentalem omnino necesse est.

Neque tamen is est S. Thomas qui neget dari creatam aliquam unionem : cujus mens et doctrina venit breviter exponenda. Continetur autem in 3 p. q. 2 a. 7 ; col. III D. 5 q. 1 a. 1. Per hoc enim quod ambae naturae, divina scilicet et humana, conveniunt in una persona Filii Dei, consequitur habitudo quaedam unius ad alteram, quam S. Doctor appellat unionem. *Consequitur*, inquam : ac proinde longe differt ab ea qua veluti media Verbum humanitati copularetur. Haec autem relatio, non aliter ac caeterae creaturarum ad Deum habitudines, *realis* est ex parte naturae creatae, *rationis* ex parte divinitatis et Verbi. Quod ut pateat, cogitandum est relationem inter extrema duo de novo consurgentem tunc solum esse realem utrinque, cum in ambobus advenit illius fundamentum ; quod si fundamentum uni soli realiter adveniat, unumque solum ab altero dependeat, in hoc solo relatio realis est, et nonnisi secundum rationem alteri competit. Cf. S. Thom. (1. p. q. 13 a. 7). Relationes « quaedam innascuntur ex motu utriusque, et tunc oportet quod illae relationes sint realiter in utroque extremorum, sicut paternitas et hujusmodi ; quae-

(1) V. sup., p. 63, 65.

dam autem innascuntur ex motu unius sine immutatione alterius, quod accidit in his quorum unum dependet ad alterum, et non e converso, sicut scientia ad scitum ; et in talibus relatio est secundum rem in eo quod dependet ad alterum, in altero vero est secundum rationem tantum. Cum igitur in incarnatione non sit aliqua mutatio facta in natura divina, sed in humana quae tracta est ad unitatem in persona divina, erit haec relatio, scilicet unio, secundum rem in natura humana, in divina autem secundum rationem tantum : secundum quod dicit Philosophus in V. Metaphys. quod aliqua sunt relativa, non quia ipsa referuntur, sed quia alia referuntur ad ipsa » (in III l. c.). Mutationem dixit, non eam quae sit transitus ab uno statu ad alium, cum humanitas assumptioni non praeextiterit ; sed quae spectetur per comparationem ad modum quo humana illa natura sese habuisset, si non assumpta fuisset ad esse Verbi, sed proprium esse, non secus ac aliae, sortita fuisset.

Ex his S. Thomas, ut obiter id advertam, colligit unionem hypostaticam Verbo Dei nihil immutationis attulisse. « Dicendum quod contingit aliquando in relativis aliquid relative dici, non quia ipsum referatur, sed quia alterum refertur ad ipsum... sicut scibile relative dicitur ad scientiam. Et in talibus aliquid incipit relative dici de novo quod prius non dicebatur, nulla mutatione facta circa ipsum, sed circa alterum : nulla enim mutatione facta circa scibile, incipit esse a me scitum per mei mutationem. Et similiter dicitur res scibilis non per potentiam passivam quae sit in ipsa, sed per potentiam quae est in sciente ; et sic est in proposito. Non enim potest esse ut Creator ad creaturam referatur, nisi quia creatura ad ipsum refertur, in qua relatio realiter existit..

et ideo Deus dicitur uniri non per mutationem sui, sed ejus cui unitur. Et similiter, cum dicitur unibilis, hoc dicitur non per potentiam aliquam passivam in Deo existentem, sed per potentiam quae est in creatura, ut uniri possit. » Cf. 3 p. q. 16 a. 6 ad 2.

Reliquum est ut, coronidis gratia, colligamus ex disputatis pressaque ratione definiamus in quo sita demum sit unio hypostatica. Et quidem, ut dicamus primo quid non sit, unio hypostatica non illa est de qua modo sermonem habebamus ; utpote quae consequatur elevationem humanitatis et sit accidentale quid. Insuper, ut patet, hoc nomine non appellatur unio duarum hypostaseon in unam personam ἓν πρόσωπον, diversimode propugnata, primum a Nestorio, tum ab illis theologis quos S. Thomas in 3 p. q. 2 a. 6 confutavit, ac sub alia forma nuperius a Güntherismo suscitata : est enim haec unio nonnisi materialiter hypostatica, nempe ratione terminorum unitorum, i. e. hypostaseon quae junguntur.

Nec est unio qua duo principia substantialia sic componuntur, ut utrumque rationem partis habeat, et illa duo coeant simul in unam hypostasim unamque naturam et essentiam, qualis est unio corporis cum anima, et generalius materiae cum forma : neque enim id requiritur ut unio sit substantialis, etsi nunquam in creatis unio substantialis ad unitatem hypostasis terminetur, quin primo fuerit in unitate naturae (1). Ad rem S. Thomas : « Dicendum quod accidens dividitur contra substantiam. Substantia autem, ut patet, dupliciter dicitur : uno modo pro essentia sive natura ; alio modo pro supposito sive hypostasi ; unde sufficit ad hoc quod non sit unio acci-

(1) V. sup., p. 126.

dentalis, quod sit facta unio secundum hypostasim, licet non sit facta unio secundum naturam » (3 p. q. 2 a. 6 ad. 3).

Nec unio hypostatica est qua duae substantiae convenirent in unam tantum personam aut hypostasim, utriusque compositione constitutam. Haec enim unio non esset in unitate personae divinae, quae, cum aeterna sit et in se per omnia simplex, nullius accessu naturae creatae constitui potest in sua ratione personae. At nec esset in unitate personae creatae, cum, uti modo dicebatur, nulla substantialis unio fit in creatis quin primo sit secundum essentiam et in unitate naturae.

Postquam diximus quid unio hypostatica non sit, dicendum quid sit. Porro sciendum est quod « aliquid significat dupliciter : uno modo formaliter, alio modo materialiter. Formaliter quidem significatur per nomen id ad quod significandum nomen est principaliter impositum quod est ratio nominis, sicut hoc nomen homo significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. Materialiter vero significátur per nomen illud in quo talis ratio salvatur : sicut hoc nomen homo significat aliquid habens cor et cerebrum et hujusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali. » Haec S. Thomas (de Pot. q. 9 a. 4), ubi quaerit quid nomen persona significet in divinis, relativum an absolutum ? Porro, quando sermo fit de quidditate unionis hypostaticae, locus est adhibendae supra dictae distinctioni significationis. Scilicet, omnibus fatentibus, unio hypostatica, seu unio secundum hypostasim formaliter sumpta, denotat assumptionem naturae humanae in praeexistentem et immubilem Verbi personam, ut fiat ipsi propria natura qua Verbum sit et dicatur homo. Sed lis est de si-

gnificatione materiali : quam litem, ut pluries ostensum est, solvit Angelicus doctor aiendo praedictam unionem nihil aliud esse quam elevationem seu tractionem assumptae humanitatis ad *esse personale* Filii Dei ; vel, quod perinde est, unionem hujus naturae cum aeternae praeexistenti persona Verbi *secundum esse existentiae increatae, vi relationis personalis modo proprio possessae* (1). Hac enim unione posita, naturae duae sic distinctæ manent, ut unus idemque per unam et in una subsistat ut Deus, et in altera subsistat ut homo.

(1) V. sup., p. 123-125.

LIBER TERTIUS

LIBER TERTIUS

CAPUT I.

Praecipuae quaedam objectiones contra theoriam hactenus expositam directae proponuntur, et. quoad fieri potest, e principiis S. Thomae diluuntur.

Ex industria dictum est : quoad fieri potest. Quod enim est gravissimum nostri Doctoris monitum, idemque, cum de mysteriis fidei nostrae disputatur, nunquam oblivioni dandum, hoc unum a theologo requiritur, ut objectiones aut penitus dissolvat, aut saltem ostendat lumine rationis repugnantiam nullam in re credenda certo demonstrari. Ex quo satis patet iniquius agi cum patronis hujus illiusve declarationis seu theoriae de mysterio, si id ab ipsis requiratur, ut illam non solum probabiliorem, sed certissimam quoque prae oculis rationis efficiant.

Objiciunt itaque : 1° Fundamentum totius explicationis est unitas actus essendi in Christo. Labile autem est hujusmodi fundamentum ; cum insideat in doctrina philosophica de reali distinctione inter essentiam et esse minime demonstrata, ne dicatur falsa. Resp. Fundamentum explicationis est unitas actus essendi, C. Labile

autem est hujusmodi fundamentum, N. Ad probationem vero qua dicitur insidere fundamentum in doctrina philosophica non demonstrata, imo longe probabilius falsa, nonnulla veniunt adnotanda. Et primo quidem, adverto quod, etsi praedicta distinctio philosophicis argumentis efficaciter demonstrata non esset, adhuc assumi posset ut solidum fundamentum. Quaeris causam : hanc tibi det Suarez (Metaphys. D. 40, S. 2). Hic enim de sententia quae quantitatem molis a substantia re distinguit, sic pronunciat : « Haec sententia est omnino tenenda : quanquam enim non possit ratione naturali sufficienter demonstrari, tamen ex principiis theologiae demonstratur esse vera, maxime propter mysterium Eucharistiae. Ex quo etiam ipsa naturalis ratio illustrata intelligit ipsis etiam naturis rerum esse veritatem hanc magis consentaneam atque conformem ». Haec sapientissime doctor Eximius. « Sicut enim in ordine ontologico gratiae dona quae sunt supra naturam, hanc non destruunt sed evehunt ac nobilitant ; ita in ordine logico cognitionis veritates superrationales non sunt omnino disparatae a rationalibus, sed cum his multiplici analogia cohaerent; atque ideo quod per fidem cognoscimus verum in superrationalibus, deducit nos ad profundiorem penetrationem veri in analogis rationalibus. Ita notiones per se rationales naturae et hypostaseos, generationis, sacrificii, extensionis corporum, sensibilium phoenomenorum, ex revelatis veritatibus multipliciter expoliri posse ac debere, saepe vidimus in tractatibus de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia » Franzelin (de Tradit. et Script., ed. alt., p. 705). Quamvis ergo distinctio illa inter essentiam et esse philosophice non certo probaretur, adhuc haberi posset ut omnino tenenda, si ea esset sine qua mysterium

unionis hypostaticae vix ac ne vix quidem explicaretur, quaque posita longe facilius et rectius declaratur.

Aliud animadvertendum est quod praedicta distinctio, non modo sic defenditur, ut ab ea procul exulet omnis quae evidens sit contradictio (1), sed etiam ostendatur necessario admittenda, Angelici saltem judicio, pro multis capitibus doctrinae de Deo, de anima, de homine, de substantia, de accidentibus, demonstrandis atque retinendis (2). Quod est satis ut opposita difficultas corruat et objectio pro soluta habeatur.

Objiciunt tamen 2°. Si humana natura Christi careat esse suo, Verbum unitur ei quod est reipsa nihil. Resp. Unitur ei quod est nihil in ordine essentiae seu naturae, N. ei quod est nihil in ordine existentiae, subd. nihil ex sese, C. ex consortio subsistentis, N. Humanitas illa est essentia singularis, eademque realis et existens, non actu quidem essendi creato, quo existimus nos, sed actu essendi nobiliori ad quem tracta est, ut in humano composito corpus ad esse animae trahitur.

3° Fieri minime potest ut aliquid sit reale, quin existentiam in suo conceptu contineat ; ergo realis essentia nulla est quae non sibi suum identificet esse. Resp. Quin includat esse velut actum indistinctum ab essentia sua, N. Ant., alioquin quidquid existit, esset Esse per se subsistens, Actus purus, Deus, ut constanter Angelicus argumentatur (3) ; quin includat esse velut actum distinctum, qui tamen actus possit esse vel naturaliter proprius et creatus, vel supernaturaliter communicatus increatusque, C. Ant., et nego C. et Cons.

(1) V. sup., L. I, c. 2, p. 17 cum seqq.
(2) V. sup., L. I, c. 4, 5 et 6, p. 41-67.
(3) V. sup., p. 45, 46.

4° Si humana Christi natura existat per esse Verbi, aeterna dicenda est : aeternum enim id est cujus aeternum est esse. Resp. Æterna dicenda est illa humanitas, si esse aeternum fingatur ipsi communicatum ab aeterno, C. si dicatur, ut fert veritas, communicatum in tempore, N. Simili de causa non tamdiu vivet corpus meum, quamdiu anima mea superstes erit, etsi haec illi principium vivendi sit, quia dissociabuntur aliquando.

5° Humana natura ex sese est ens ; ergo suum habet esse non essentiae tantum, sed etiam existentiae. Resp. est ens ut quod, N. ut quo, C. et sub hac distinctione N. C. et Conseq. Scilicet haec natura nón est ens *quod* in se et per se existit, seu habet esse proprium, alioquin esset persona ; sed est ens quo assumpto ad esse personale Verbi, Verbum est et denominatur homo (1).

6° Oportet anima in Christo conferat aliquod esse corpori, cum sit ejus forma ; sed non dat ei esse divinum, ut per se liquet ; dat igitur aliud esse, nempe creatum. Objectionem hanc, a patronis existentiae duplicis saeculo XIII constanter oppositam, bis sibi proposuit, et bis solvit Angelicus (3 p. q. 17 a. 2 ad 4 ; coll. III D. 6, q. 2 a. 2) (2). Scilicet in Christo « anima corpori dat *esse* naturae, in quantum facit ipsum actu animatum ; quod est dare ei complementum naturae et speciei ». Imo, certo quodam sensu dat ei *esse existentiae*, non creatum quidem esse, sed ipsum esse personale Verbi Dei, quatenus « anima, in quantum perficit humanam naturam, informando corpus », causa est habitudinis quam esse personae divinae praeexistentis acquirit ad hanc humanam

(1) V. sup. Liv. I, c. 1 varium modum quo quid appellatur *ens*, et quid sit *subsistere*.

(2) V. p. 100-102 ; col. p. 39, 40.

naturam : neque enim corpus assumeretur ad esse Filii Dei, nisi per accessum animae compleretur humanitas per quam et in qua Verbum existit ut homo. Haec S. Thomas in Summa l. c. « Ad quartum dicendum quod anima dat esse corpori, in quantum facit ipsum actu animatum. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi, habente utrumque, hoc totum compositum ex anima et corpore, prout significatur nomine humanitatis non significatur *ut quod est*, sed ut *quo aliquid est*. Et ideo ipsum esse est (esse) personae subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam (humanam scilicet); cujus habitudinis causa est anima, in quantum perficit humanam naturam informando corpus ». Unde forma seu anima in Christo dat *esse*, quatenus complet humanitatem, quae cum assumpta fuerit ad esse Verbi, hoc esse suscipit novam habitudinem vi cujus est non solum esse Dei, sed esse hominis. Videas haec omnia latius L. II c. 3 declarata.

7° Esse consequitur naturam ; ergo si duplex natura duplex esse. Resp. Esse consequitur naturam sicut id quod habet esse, N. Ant. sicut id quo, recepto semel esse, aliquid existit ut hic homo, vel hic equus, pro diversitate naturae, C. Ant. Ergo si duplex natura duplex esse, essentiae, C. Cons. existentiae, subd. Cons. ; si duplex sit hypostasis, uti sese res habet cum utraque natura creata est, utraque recipit in se esse, tanquam actum per se non subsistentem in potentia subjectiva, C. Cons. ; si una sit hypostasis, eademque infinita, quae praeexistens eminentissime suppleat esse suo creatum esse, iterum subd., duplex esse, id est, esse re quidem unum, sed denominatum aliter et aliter secundum habitudinem ad duas naturas, ut hoc modo sit esse Dei et esse hominis, C. Cons.

duplex esse, aliud ab alio realiter distinctum, N. Cons. (1).

8° Anima Christi est creata ; jam vero creata non esset, si careret esse proprio : tunc enim aliquid creatur, quando fit e nihilo *secundum esse*. Resp. Maj. concessa, nego Min. Ad probationem minoris quod attinet : tunc quid creatur cum fit e nihilo secundum esse, D. secundum esse vel de novo productum, vel praeexistens quidem, sed de novo rei creandae communicatum, C. Min. ; secundum esse de novo semper productum, N. Min. Scilicet ut quid dicatur creari, sufficit ut, cum nihil in ordine essendi fuerit, acquirat esse.

9° Generatio terminatur ad esse ; ergo, si B. Virgo generavit Christum, habet ipse duplex esse pro duplici sua generatione. Resp. S. Thomas : « Generatio temporalis terminatur non ad esse suppositi aeterni, ut simpliciter per eam esse incipiat, sed quod incipiat esse suppositum habens illud *esse* suppositi humanae naturae » (Quodl. 9 a. 3 ad 3). Itaque, temporalis illa generatio non attulit esse novum, sed effecit ut aeternum *esse* porrigeretur ad assumptam naturam ; quo quidem posito, esse aeternum Filii Dei factum est esse hominis. Hinc, ut in forma respondeatur, Ant. concesso, dist. C. et Cons. habet Christus duplex esse, distinctum, ut sit aliud et aliud numero, N. distinctum, ut unum re, aliter tamen et aliter denominetur, C. Advertas iterum quod hoc esse non eodem modo comparatur ad utramque naturam : nam secundum quod est esse Dei, identificatur cum divinitate personamque simpliciter constituit ; quatenus autem est esse hominis, ab humanitate quam actuat communione sui, re distinguitur, et ita quidem ut ex hac

(1) Vid. iterum, p. 100, col. p. 110.

habitudine non habeat persona quod sit simpliciter, sed quod sit hypostasis humanae naturae, seu, quod perinde est, homo.

10° Quidquid non est assumptum, non est sanatum; ergo, si non assumptum esse creatum, neque sanatum est; sed est sanatum; assumptum igitur. Omitto retorquere telum, quo tamen facilius nihil esset. Neque enim Verbum assumpsit modum positivum subsistentiae; non assumpsit singulas in individuo naturas, meam, tuam, quae tamen erant sanandae. Sed respondendum est directe. Quod ut praestem, satis erit animadvertisse duo. Primum, quod *esse*, ratione sui, non erat indigum sanationis. Homo enim subest peccato, ignorantiae, concupiscentiae, i. e. morbis a Christo sanandis, non quantum ad ipsum esse, sed quantum ad naturam, facultates et proprietates naturae. Quare, Patres illud principium constanter et unice usurpant, ut Christo vindicent naturam humanam integram, corpus, animam, mentem, voluntatem, et ita porro. « Totam divinitatis essentiam *toti* humanae naturae conjunctam asserimus, quia nihil eorum quae naturae nostrae Deus Verbum inseruit, cum initio nos procrearet, dimisit, sed *omnia* suscepit, nempe corpus, animam, mentem, rationeque praeditam, et eorum proprietates: animal enim quod harum aliqua parte caret, non est homo. Totum enim totus assumpsit, et totus toti conjunctus est, ut totum sanaret », inquit ex S. Joan. Damasc. Euthymius in Panoplia dogm. tit. 7 (P. Gr. T. 130 p. 239). Notandum alterum est, quod his quae diximus, semel assumptis et sanatis, esse sanatur, non secus ac persona, quia non ratione sui, sed ratione tam naturae quam naturae proprietatum infirmitati subjacebat.

11° Creatio animae et hujus ad Verbum unitio vel assumptio sunt actiones distinctae quarum prima secundae supponitur. At si prius anima creatur quam assumatur, utique non existit per ipsummet esse Verbi, ac ideo suum habet esse proprium vi creationis acceptum. Resp. Creatio et unitio sunt actiones distinctae, D. in re, N. Maj., in intellectu nostro, hoc nempe sensu quod una eadem actio qua anima ad esse personale Filii Dei assumitur, respondet duobus conceptibus quibus anima illa intelligitur et existere de novo et esse facta per unionem Verbo propria, C. Maj. Et haec de prima parte Majoris. Ad alteram vero qua dicitur unam actionem, creandi scilicet, alteri praesupponi, responsum est in promptu : neque enim ullus locus est reali, ut ita dixerim, actionis praesuppositioni, ubi una et eadem est actio non duplex. Darem tamen in ordine pure ideali conceptum creationis et existentiae sub aliquo respectu praeire conceptui unionis. Et hoc est quod significatur responsione qua S. Thomas (III D. 5 q. 3 a. 1) solvit objectionem sic conceptam : « Quod assumitur, oportet praeexistere ; sed humana natura non praeextitit unioni ; quia simul fuit caro et Dei Verbi caro ; ergo natura non assumitur ». Cui difficultati occurrit : « Ad secundum dicendum quod, quamvis non praeexistat tempore, praeexistit tamen secundum modum intelligendi, et hoc sufficit ». Quod autem haec verba pro S. Doctore non ferant sensum objicientis, perinde ac si humana natura ita praeexisteret, ut a creatione suum sibi proprium esse reciperet, facili negotio declaratur.

Et primo quidem, mirum omnino foret S. Thomam theoriae toties a se ex professo propugnatae et propugnandae pauculis illis verbis contradicere voluisse. Ani-

madvertatur praeterea dictum esse *secundum modum intelligendi* : quo significatur ordo non ontologicus, perinde ac si vere praeexisteret humanitas in esse suo, sed mere logicus. Tum, quod summum est, multis exemplis ab Angelico sumptis patet illationem, qua quis ex supradicto textu concluderet humanam Christi naturam existere independenter ab esse Verbi communione, menti ac principiis illius vehementer repugnare.

In Summa (3 p. q. 6 a. 4 ad 3) ait : « *Prius intelligitur* caro ut quoddam *ens*, quod a Verbo (efficienter) habet, quam ut animata, quod habet ab anima ». Atqui tamen, eodem teste, quod caro sit *ens* cum individuo et in individuo cujus est, hoc habet *consequenter* ad unionem cum anima. « Oportet dicere quod per formam substantialem quae est forma humana, habet hoc individuum non solum quod sit homo, sed quod sit animal, et quod sit vivum, et quod sit corpus, et substantia et *ens* ». Iterum, (III D. 18 q. 1 a. 4 sol. 4), docet « quod unio quae est in persona, quae est ultima et completissima, *praesupponit* (in Christo) omnem aliam unionem ad Deum ». i. e. unionem per gratiam et gloriam. Nihilominus doctrina certissima ejus est, haec dona creata nihil aliud esse quam « effectus *consequentes* unionem » personalem, ut splendor solem (3 p. q. 6 a. 6). Iterum, dispositiones ad formam in compositis, formam in materia *praecedunt*, et formam *sequuntur*, quatenus intelliguntur et priores *in via generationis*, et « posteriores tamen in *essendo* » (II C. Gent. c. 71), (seu, quatenus « *praeexistunt* in materia ante formam ordine *fiendi*, non ordine *essendi* » (III D. 13 a. 1). Denique, ne plura persequar. S. Thomas una cum aliis omnibus saepe commemorat unionem corporis cum anima ; qua quidem ratione lo-

quendi corpus unioni praesupponitur. Attamen, constantissime tenet corpus nonnisi per animam esse corpus. Restat igitur ut humanitas Christi possit praesupponi *secundum intellectum* unioni cum Verbo, quin inde consequens sit eam independenter ab esse Verbi sisti praesentem extra nihil in rerum natura.

Hinc Claudius Tiphanus (de Hypostasi et persona c. 36), eo ipso loco in quo contendit non posse naturam humanam existere per existentiam Verbi, arbitratur argumentum modo propositum esse prorsus inefficax. « Mitto, inquit n. 11, sq., argumentum a prioritate naturae ductum, quo plerique tanquam validissimo utuntur, dicentes quod, cum humanitas prius natura existere debeat quam uniri Verbo, in illo priori nonnisi per suam propriam existentiam existere possit. Hoc enim argumentum nullius est roboris ». Quod ibidem ostendit pluribus exemplis et argumentis ab Angelico doctore petitis.

Coronidis gratia, novum argumentum e SS. Trinitate sumamus. Non a S. Thoma tantum, sed a tota Theologia catholica docemur personas divinas constitui relationibus. Hoc tamen non obstante, prius occurrit Pater ut persona quam intelligatur ut generans, vel ut Pater relativus ad Filium, etsi ne prioritate quidem naturae ratio personae vel relationi vel generationi praecurrat, sed e converso relationi subsistenti debeatur. Ratio prioritatis istius logicae ultima est, quod in ordine conceptuum simpliciora praeintelliguntur complexis, ut persona personae generanti, humanitas existens humanitati non existenti solum, sed etiam unitae, quanquam re non aliud sit esse personam et Patrem, existere et uniri.

12° Humanitas Christi, si semel a Verbo disjungeretur,

remaneret eadem numero entitas realis quae nunc est; atqui non remaneret in hypothesi quod esse suo careat; ergo.

Resp. Humanitas Christi remaneret... si non conservaretur, N. Maj. si conservaretur sub esse suo connaturali, subd. remaneret eadem numero quoad essentiam, C. Maj. : neque enim esse pertinet ad constitutionem et principia naturae ; remaneret eadem numero quoad ipsum actum essendi, N. Maj. et contrad. Min., N. C. et Conseq. Observa tamen quod separata jam non esset ejusdem entis, ut nec ad eamdem personam pertineret. Et haec est ratio propter quam S. Thomas saepissime docet non potuisse Verbum assumere naturam alicui supposito praeexistenti, humano vel angelico, propriam, quin hoc suppositum et hoc ens corrumperetur. Animadverte praeterea quod in eadem hypothesi Verbum ipsum, nulla facta in suo *esse* mutatione, *esse* hominis amitteret, quia cessaret in humanitate separata realis illa habitudo quo refertur ad esse personale Verbi.

CAPUT II

Pergitur in explicatione difficultatum.

1° Sunt qui sic objiciant : Ad hoc ut existat unum ens et una substantia perfecta seu persona, non exigitur unus numero actus essendi ; cum satis sit, si existentiae duae, divina nimirum et humana, confluant in unam totalem. Resp. Posset quis interrogare quî fieri possit ut esse duo, potissimum autem esse divinum et humanum, in unum esse componantur. Sed, hac omissa forte permolesta quaestione, sufficiat animadvertisse quod, sicut homo substantialiter denominatur ab humanitate, Deus a deitate, ita dicitur ens ab esse. Nemo sane dixerit hominem unum posse constare duabus humanitatibus ; ergo nec ens constare poterit unum duobus *esse* veluti compositis ; eo vel maxime quod in ordine essendi esse sit ultimus actus et actualitas suprema. Cf. S. Thom. (1 p. q. 3 a. 4) et sup. p. 41-43.

2° Accidentia afferunt suum esse, idemque distinctum ab esse subjecti ; ergo, salva unitate suppositi, multiplicari potest esse. Resp. Conc. Ant. et dist. C. et Conseq. : multiplicari potest esse substantiale, N., accidentale, C. Ad rem Angelicus : « Illud cui advenit accidens, est ens in se completum, consistens in suo esse : quod quidem esse (substantiale) naturaliter praecedit accidens quod supervenit. Et ideo accidens superveniens ex conjunctione sui cum eo cui supervenit, non causat illud esse in *quo res subsistit*, per quod res est ens per se, sed

causat quoddam esse *secundum* sine quo res subsistens intelligi potest esse ; sicut primum potest intelligi sine secundo, vel praedicatum sine subjecto. Unde ex accidente et subjecto non fit unum per se, sed unum per accidens ». De Essentia et Esse c. 7. Quare, « sicut ex materia et forma relinquitur esse substantiale, quando componitur (i. e. quando fit utriusque compositio), ita ex accidente et subjecto relinquitur esse accidentale, quando accidens subjecto advenit » (Metaphys. L. IV, lect. 2 ; col. L. VII, l. 4). Vide quoque 3 p. q. 17 a. 2 ; III D. 6 q. 2 a. 2).

3° Si nullum est esse creatum humanitatis Christi, duo sequuntur valde repugnantia : primum, hunc hominem Christum cum aliis hominibus specie non convenire; alterum, eamdem humanam naturam non esse capacem accidentium. Haec plures, quibus resp. ad primum : homines ad speciem humanam non pertinere ratione actus essendi, sed ratione naturae : neque enim *quia sumus*, humanae speciei sumus, sed quia sumus homines. « Hypostasis Verbi, quamvis non sit in genere substantiae simpliciter, in quantum est hypostasis Verbi, tamen in quantum est hypostasis humanae naturae, est in genere substantiae, sicut est in specie hominis : non enim hypostasis ordinatur ad genus vel speciem nisi per naturam quam habet » (III D. 6 q. 1 a. 1 sol. 1 ad 2).

Resp. ad secundum : Christum, ut est homo, accidentibus subjacere, licet non per aliud esse *sit* ut Deus, per aliud ut homo ; quia subjectum accidentibus non afficitur ratione sui esse, sed ratione suae naturae, suarumque potentiarum. « Christus, inquit S. Thomas, est individuum naturae humanae : nec tamen oportet quod accidentia humanae naturae insint divinae personae, nisi natura

mediante » (l. mox cit. sol. 3 ad 3). Imo vero, si quis finxerit in Christo duplex esse, unum identificatum cum natura divina, alterum identificatum cum humana, nulla, judice S. Thoma, sedes erit accidentium. Causa enim propter quam in Deo accidentia nulla sunt, in eo sita est quod apud ipsum essentia et esse sunt quid unum et idem. Quod si in humanitate fuerint etiam identificata, eadem de ratione respuentur ab ea, qua procul exulant a Deo. Cf. 1 p. q, 3 a. 6, et de Pot. q. 7 a. 4.

4° Christus est unus vivens, licet in ipso sit vita duplex, humana scilicet et divina ; ergo dici poterit unum ens, etsi sit per duplex esse. Resp. negando paritatem. Vita enim pertinet ad esse essentiae ; et ideo non significatur ut esse per modum actus ultimi, cujus unitas fundat unitatem entis et suppositi, dualitas vero dualitatem inferret.

5° Plures personae convenire possunt in uno esse substantiali, non naturae solum, sed etiam existentiae ; ergo et duo esse in una numero persona. Resp. Plures personae absolutae quales nos sumus, N. A. plures personae sola relatione distinctae, C. A., et sub hac dist. N. C. et Conseq. Fac enim sint ex hypothesi tres personae absolutae quae concurrant in unum esse, nihil esset quo aliae ab aliis distinguerentur : nec esse quod supponitur unum, nec essentia quae in creatis una est unius esse. Econverso, si plures hypostases relativae, quales sunt tantummodo personae divinae, in uno esse substantiali conveniant, quanquam secundum esse non distinguantur, est tamen quod ipsas distinguat, modus nempe relativus habendi unum illud esse, unam illam perfectionem absolutam tribus communem. Neque enim ut quid sit ab alio quocumque divisum, quod ad rationem indi-

vidui requiritur, opus est omnis modus divisionis interveniat, cum sufficiat unus. Fac demum ut in hypostasim unam substantiale duplex esse concurrat, illa jam non erit subsistens unum. Ad hoc enim ut quid dicatur subsistens simpliciter unum, oportet sit indivisum in se, secundum illam rationem in qua praedicatur unitas. At vero, duo illa quae singula suum esse substantiale retinerent, in ratione entis indivisa minime forent : ponuntur enim esse divisa et secundum esse naturae, et secundum esse existentiae. Multiplicato ergo esse substantiali, subsistentes multiplicari necesse est, atque « impossibile est quod unius rei non sit nisi unum esse » (1).

6° Omnino fieri non potest ut humana natura cum Verbo communicet in esse : Verbum enim Dei, cum sit Deus, actus purissimus ac omniperfectus, essentiam creatam, salva sua infinitate, actuare suo esse non potest, nec in compositionem cum ipsa venire.

Haec, fateor, est objectio omnium difficillima, atque adeo non cursim sed pluribus expendenda. Itaque primo, Deus infinitus naturam creatam actuare eo modo non potest, quo forma substantialis materiam corpoream informat : actus enim ejusmodi dicit ex intrinseca sua natura potentialitatem et imperfectionem partis. Et haec est ratio propter quam eorum opinio qui cum Ario docuerunt in Christo Verbum esse loco animae, vel cum Apollinari, loco mentis, etiam philosophice repugnat. Cf. S. Thom. (c. Gent. L. IV c. 32). Eadem de causa plane repugnat ut esse divinum fiat actus essendi naturae creatae ; actus, inquam, qui sit in illa velut in potentia propria receptus, et ad ejus mensuram capacitatemque quo-

(1) V. sup., p. 41, 42.

cumque modo determinatus : actus enim hujusmodi finitus est, et ipse per se non subsistens, ut a principio declaratum est. Absit autem ut in sententia S. Doctoris esse personale Verbi sic communicari doceatur ; cum e contra coarctatio, limitatio, dependentia quaelibet ab illa communicatione prorsus arceatur, et ita quidem ut causa fundamentalis cur illud esse divinum creaturam actuare valeat, sit illimitata ejus perfectio. Quod si modum illum communicationis ratione non assequimur, non ideo respuendus est ut impossibilis, nisi repugnantiam evidentem prae se ferat ; quae quidem repugnantia nec est nec esse probata est.

Et certe, qui theologi sententiae doctoris Angelici non assentiuntur, tam procul sunt ab illa demonstranda, ut et ipsi simile quid aperte doceant. Testem appello Suarez (de Incarn. D. 8. S. 4). Is enim, cum pro modo sui systematis docuerit « Verbum per seipsum dare humanitati ut subsistat », et eminenter supplere subsistentiam modalem quam, imitatus Cajetanum, arbitratur esse formam seu melius actum hypostasis, negat tamen Verbum habere propriam formae rationem, licet influxus ejus ad hoc causalitatis genus, demptis imperfectionibus, analogice reducatur. Quare, nomen *actus* esse nomini *formae* praeferendum arbitratur, « quia ratio actus latius patet quam ratio formae..., nec in suo conceptu includit hujusmodi imperfectiones », quae clauduntur in notione formae. Alii vero quibus placuit humanitatem a Verbo sustentari, causalitatem etiam quamdam eminentem Verbo tribuunt, subjectivam scilicet, demptis imperfectionibus. Ergo nemo D. Thomae crimen inferat, quod Verbum Deum ut actum naturae creatae citra coarctationem ullam, ullamve dependentiam habuerit.

Sane, theologi qui de visione beatifica profundius meditati sunt, omnes posuerunt quod species impressa quae naturaliter intellectui creato deservit, ut in cognitionem prosiliat, suppletur per essentiam divinam ineffabiliter intellectui beato conjunctam ut per illam hic actuetur ad Deum intuendum : ex quo fit « ut in tali visione divina essentia sit et quod videtur et quo videtur » (c. Gent. L. III, c. 51 ; de Verit. q. 8 a. 1 ; IV D. 49 q. 2 a. 1). Quod si quaeras a S. Doctore, cur essentia divina per quam intelligit Deus, intellectui creato conjungi possit ad modum speciei cujusdam intelligibilis, non possit alia quaevis substantia ; causam unicam affert, quod ipsa sola sit veritas, totaliter veritas, cum sit ipsummet suum esse, dum intelligibilia creata sunt verum aliquod non ipsa veritas, quia nec sunt ipsum esse per essentiam sed participant et recipiunt esse.

Jamvero si potest intellectus creatus elevari quadamtenus ad divinam essentiam, ut per illam intelligibiliter actuetur et videat Deum ; cur negabimus trahi naturam humanam ad esse personale Verbi, ut per illud habeat quod sit in natura rerum ? Ratio utrinque par est : nam ut Deus est non modo verum aliquod, sed sua veritas ; ita non est ens tantummodo, sed ipsummet esse. Quare S. Thomas (Comp. Theol. c. 201) affirmare non dubitavit, quod in hac mirabili nostrae naturae susceptione « datur nobis exemplum illius beatae unionis qua intellectus creatus increato spiritui intelligendo unietur ».

Dicet aliquis : Sit ! nullus theologus ex suis principiis jure ac merito repugnet. An ideo nulla prae oculis rationis est repugnantia ? Cui interrogationi respondendum cum S. Doctore, nullam certo demonstrari ; quinimo non deesse plura quibus ad assentiendum ratio moveatur.

Caeteris omissis, hoc unum considera, quod intelligere divinum, divinumque velle, licet verum bonumque divinum eis adaequetur, non secus ac essentiae commensuratur esse, possunt referri citra quamlibet sui mutationem ad objecta quaevis contingentia cognoscenda, volenda, producenda. Cur, quaeso, non poterit esse divinum et ipsum citra mutationem ullam actuare naturam creatam, etsi coaequetur essentiae divinae quacum unum et idem est; cum hinc et inde principium solutionis sit identicum, puritas scilicet et infinitas esse divini. Quae quidem ex oppositione quae viget inter esse creatum et esse divinum solide confirmantur. Illud enim, quippe quod sit finitum ad mensuram naturae singularis, in qua tanquam in proportionata potentia recipitur, intelligitur hoc ipso non posse communicari, quin id ipsum cui communicatur, efficiatur pars aliqua vel essentialis vel integralis saltem naturae cujus est esse. Ergo, cum e converso divinum esse per se stet, et omnem omnino actum essendi eminentius contineat, extendi quodammodo potest ad naturam finitam, non quidem ut Verbum per illam, sed ut in illa tamen existat. Cf. S. Thom. (IV c. Gent. c. 49 ad 3 et 5; de Un. Verbi Inc. a. 1 ad 14 et 15).

7° Objiciunt praeterea nonnulli: Si humanitas potest existere existentia Verbi, poterit esse sapiens sapientia Verbi, et ita porro. Item, omnino repugnat ut id quod est contingens, existat existentia necessaria. Ad *primum* resp. nullam esse paritatem. Etenim sapientia pertinet ad ordinem naturae: quare, eatenus solum humanitas saperet sapientia Verbi, quatenus natura divina fieret virtus humanae naturae. At aliter sese res habet in praesenti quaestione: neque enim dicimus esse divinum fieri proprietatem humanae naturae, vel in ea recipi ut ipsa

sit id quod est, sed humanam hanc naturam ad esse divinum ita elevari, ut Verbum in ea subsistat et sit homo. Ad secundum resp.: id quod est contingens non potest existere existentia necessaria, D. sibi identificata vel ad se necessario protensa, C. existentia in se necessaria sed a se distincta, ad quam contingenter participandam elevetur, N.

8° Erit qui demum opponat, quidquid de theoria sentiatur, hanc tamen Angelico doctori non adscribi debere; qui, si arbitratus esset unitatem esse vel ejus pluralitatem ad quaestiones de unica persona et de unione substantiali solvendas adeo pertinere, hac de re statim disputasset in quaest. secunda Tertiae Partis, in qua quaestiones illas ex professo proposuit; minime vero nonnisi post longum intervallum de uno esse tandem inquisivisset. Resp. negando, ut aiunt, suppositum. Continua enim quaestione secunda nihil S. Thomas antiquius habet quam ut ostendat, ideo naturam humanam Christi vel non esse personam vel uniri substantialiter Verbo, quia non per se existit, nec est subsistens. i. e. non sistit sub esse suo, ut videre est 3 p. q. 2 a. 2 ad 1-3; a. 3 ad 1; a. 5 ad 1; a. 6; a. 10 et a. 11 in corp. Quod si q. 17 sumpsit argumentum ex professo tractandum, id propterea fecit ut capitalem hanc doctrinam de uno esse distinctius exponeret, objectiones quibus impugnabatur, solveret, ac modum quo sit intelligenda, penitius explicaret.

Caeterum, quanquam ex disputatis hactenus luculenter pateat quae sincera D. Thomae sententia fuerit, tamen auctoritate traditionis ad ipsammet aetatem Angelici doctoris assurgentis idipsum est nunc confirmandum. Quapropter argumentis internis, in tota retro disputatione velut imbibitis, modo subjungemus extrinseca testimonia omni exceptione majora.

CAPUT III

Quod S. Thomas unum esse, non quodlibet sed existentiae, Christo tribuerit, traditione ad ipsam illius aetatem assurgente certo demonstratur.

Nihil nobis agendum est quam proferre testimonia, nec unius partis tantum, sed ex omni schola.

Et primo quidem Salmanticenses (de Incarn. T. 1, D. 8, S. 3) notant universos theologos, quotquot ante se fuerunt, uno excepto Herveo O. P., hoc de S. Thoma sensisse, nempe quod unam in Christo substantialem existentiam admiserit. Suarez vero, licet ipse multum laboraverit ut Angelico sententiam diversam adscriberet, ingenue fatetur : « Haec est sententia communis Thomistarum, Cajetani hic, Capreoli in III D. 6, Ferrariensis in IV c. Gent. c. 35 et 41. Tenet etiam Henricus (Gandav.) Quodl. III q. 2 ; et *communiter censetur esse D. Thomae* (in 3 p. D. 36 S. 1). Quae quidem asserta nunc sunt auctoritatibus communienda.

De Schola O. P. nihil est quod quaeramus : omnes enim, si Herveum omiseris, sententiae S. Doctoris innituntur ut unitatem *esse* constanter retineant, etsi plures, Cajetano duce, puram Magistri theoriam non proposuerint.

In Schola porro Scoti, ne unum quidem ego novi qui, pro duabus existentiis pugnaturus, sententiam oppositam S. Thomae non attribuerit. Exempla demus. Poncius (in III D. 6 q. 1, p. 180) : « Hanc (sententiam de

uno esse) tenent Thomistae communiter cum S. Thoma ». Gemina fere dicit Lychetus in notis Commentario Scoti in III D. 6 q. 1 appositis. Mastrius item (in III D. 6 q. 6 n. 206) : « Vult itaque D. Thomas 3 p. q. 17 a. 2, quod sicut humana natura assumpta caret propria subsistentia ita et propria existentia ». Petrus de Aquila, (vulgo Scotellus), in III D. 6 a. 2 : « De secundo articulo, si in Christo sint plura esse ? De hoc sunt duae opiniones : una Thomae p. 3 q. 17 a. 2, quod in Christo non sunt plura esse... » Ponderandum in primis est testimonium Scoti : tum enim cum scripsit, sententia B. Thomae triginta tantum abhinc annis mortui incerta sane non erat. Porro doctor Subtilis III D. 6 q. 1, quae est : Utrum in Christo sit aliud esse Verbi ab esse creato ? etsi nomen Angelici non habeat (neque enim auctorum catholicorum nomina referre solet, sed tantummodo sententias) ; Angelicum apertissime confutandum accipit. Id enim manifestum est tum ex consensu discipulorum et sequacium Scoti, tum ex ipsamet lectione rationum quas adducit in gratiam opinionis opinioni suae de duplici esse existentiae repugnantis. Audiendus ipse est argumentum adversarii recitare : « Praeterea, si pars adveniret de novo toti habenti esse perfectum, totum non haberet *esse* ab illa parte, sed tantum haberet respectum ad illam partem, et pars esset per esse totius, sicut esset de manu communicata de novo supposito praeexistenti. Sed natura humana advenit Christo quasi inserta supposito praeexistenti ; ergo non dat sibi aliquod *esse*, sed tantum recipit *esse* ejus, supposito illo habente tantum novum respectum ad eam ». Quae ipsissima est doctrina S. Thomae, superius (1) enarrata.

(1) V. sup., p. 100-102.

Schola Carmelitarum hoc idem affirmat ore Complutensium et Salmanticensium, qui conspirant omnes in doctrinam de una existentia defendendam, ut eam quam ab Angelico sumpserint ; cum hoc tamen discrimine, quod hi posteriores teneant in Christo desiderari tum existentiam creatam tum substantialem subsistendi modum, illi vero priores, in Philosophia Complutensi, existentiam propriam tantummodo, non item subsistentiam illam modalem Cajetani, de qua plura deinceps, quamque creatis in hypostasibus non agnoscunt.

Ad Scholam Societatis Jesu quod spectat, Toletus (in 3 p. q. 17 a. 2) sic habet : « Prior est sententia D. Thomae... quod in Christo est unum existere divinum, quo etiam humanitas dicitur existere ; ita quod humanitas non solum a Verbo personatur, sed etiam ab ipso recipiat existentiam ». H. Henriquez (de Sacr. L. II c. 24) non modo S. Doctori tribuit doctrinam de uno esse, sed hanc eamdem facit suam his verbis : « Ut Verbum personam existentiamque creatam humanitatis, ita corpus Christi ex unione sacramentali quae habet officium panis, *excludit* substantiam panis », etc. Nec aliter Cosmus Alamannus in Summa Philosophiae. Nam ex S. Thoma docet primo, quod in creatis essentia ab esse realiter est distincta (1 p. q. 3 a. 4 ; q. 9 a. 5, et alibi) ; tum secundo, quod, sicut in homine trahitur corpus ad esse animae, sic humanitas in Christo trahitur ad esse personale Verbi ; ex quo fit ut non aliud, sed unum et « idem sit esse personale humanitatis et Verbi, animae et corporis » ; et hinc est quod unio sit utrinque substantialis : quod quidem confirmat iis ipsis textibus innixus quibus idipsum supra statuebamus (q. 7 a. 1 ad 3). Item, Sylvester Maurus (Quaestiones philosophicae) quaestio-

nem utrum essentia rerum creatarum ab existentia distinguatur, solvit affirmando. « Respondeo in omnibus creaturis essentiam et existentiam distingui a parte rei ». Quam sententiam, inquit, ex Aristotele tenuit « praesertim S. Thomas de Ente et Essentia c. 5 et II contra Gentes c. 52 ; qui etiam prima Parte totam doctrinam de infinitate et perfectionibus Dei, de limitatione atque imperfectionibus creaturarum fundat in eo quod Deus sit suum esse, secus creaturae » (l. c. q. 6). Postquam vero, ad mentem S. Thomae, docuit materiae primae non inesse propriam existentiam, quia composita naturalia, posita semel existentiarum pluralitate, non *essent quid unum per se* (ibid. q. 7), de ratione suppositi disputat, quid nimirum illud addat supra naturam, et fere propendet in opinionem Suarezianam ; sed ita tamen ut, si haereat in admittenda sententia D. Thomae, non haereat in eadem agnoscenda : « Cum enim, inquit, humanitas mea e. g. possit existere vel in Verbo, vel separata a Verbo, sicut unio (hypostatica) cum Verbo determinaret illam ad existendum in Verbo, *et fortasse per existentiam Verbi, ut S. Thomas docet*, sic personalitas mea separat meam humanitatem a Verbo et quocumque alio supposito.... » (ibid. q. 13 ad sextum).

Scio plures qui in diversas de unione hypostatica sententias iverunt cum Suarez aliisque, S. Thomam in opinionem cuique propriam traxisse, magno quidem sed, ut videtur, irrito conatu. Per se patet traditionem illis non favere, nec ad eam provocant. Quod vero notatu dignum est, fuerunt qui ingenue faterentur sese multam expertos esse difficultatem in interpretando S. Doctore, imo tantam ut textus in quibus ille *ex professo* quaerit, utrum in Christo sit unum esse, duxerint obscuros.

« Mens D. Thomae in toto articulo (3 p. q. 17 a. 2) est obscura, inquit Suarez in h. l.. Arriaga, postquam scripsit : « Hurtadus D. 73 ait articulum (modo signatum) esse valde obscurum, et gratis in ejus declaratione laborasse interpretes », subjunxitque se non easdem expertum angustias, eo tandem devenit ut concederet aliquid in responsis ab Aquinate datis sibi videri *difficile* (de Incarn. div. Verbi D. 26 S. 5 n. 21 et 24); quod quidem is dabit, quicumque legerit interpretationes hujus loci quas illi, neglecta fere littera, passim dederunt (1).

Inter theologos Academiae Duacenae prae caeteris eminet Sylvius, qui doctrinam de uno esse ex industria propugnavit, commentans articulum illum secundum 17 quaestionis, eamque S. Thomae verbis expressis asseruit.

Ysambertus, insignis Scholae Sorbonicae doctor et theologus, de quaestione nostra dicturus, ita scribit : « Duae sunt in hac re sententiae : prima, omnium discipulorum S. Thomae hic et III Sent., est humanitatem Christi carere sua existentia. Contraria autem sententia quam loco conclusionis ponimus, est Scoti », etc.

Schola S. Benedicti nullum forte theologum Card. J. de Aguirre doctiorem unquam habuit. Is autem D. Thomae doctrinam adscribit eamdem quam nos adscripsimus, et ita quidem ut illam ipsam argumentis meo judicio validissimis confirmet, ut videre est cum in ejus Philosophia (Metaph. c. de Substantia per totum), tum in Theol. S. Anselmi (Tract. 4 de Trinit. D. 76).

(1) Totam hanc quaestionem de assumptione humanae Christi naturae ad esse Filii Dei R. P. Lud. Billot S. J., in Pontificia Universitate Gregoriana Theologiae dogmaticae professor, ea ubertate et profunditate declaravit in suo Tractatu *de Verbo incarnato* recentius edito, ut opusculum hoc nostrum fere supervacaneum effecerit.

Nec alia sententia fuit Eremitarum S. Augustini. Aegidius Romanus, S. Thomae discipulus, quem ut principem suum in Theologia reverentur, in Defensorio Correctorii S. Thomae (a. 1 Væ Partis), postquam retulit crimen a pluribus doctoribus Parisiensibus B. Thomae Aquinati illatum, quod is docuisset « *idem esse* animae communicari corpori, ut sit unum esse totius speciei (i. e. naturae et compositi) », contendit illos errasse gravissime, non ideo quod istiusmodi sententiam injuria Angelico adscripserint, sed quod illam uti falsam impugnaverint. Addit insuper intolerandum errorem esse, si contra mentem ejusdem Doctoris dicantur in Christo reperiri *tria esse*. corporis, animae, Verbi. « Manifestum est enim quod, sumpto *esse prout est actus entis, qui est existere*, sive *ipsa rei existentia*, errare intolerabiliter invenirentur : quoniam in Christo ponere plura esse, est ponere plura existentia, et per consequens plura supposita, quod est haereticum ». Si quis autem objecerit Defensorium forte non esse foetum genuinum Aegidii, quamvis ipsi longe communius attribuatur ; imo Aegidium in Comment. suis in III D. 6 sententiam oppositam de esse duplici docuisse, quamtumvis ibidem esse creaturarum ab earum essentia realiter distinguat, retinebo primum aliquem antiquum doctorem, eumque non mediocris doctrinae, de Angelico nobiscum consentire ; deinde proferam tum Aegidii Quodlibeta tum etiam ejusdem Tractatum de Ente et essentia. In hoc enim opere multis docuit ne creationem quidem intelligi posse, si idem re forent esse et essentia, simulque demonstravit in substantia qualibet una « non esse nisi unum *esse* quod est actus entis et existentia » (Q. 10). In Quodlibeto autem quinto, q. 3, ubi ex professo quaerit utrum in Christo sint esse plura seu

duplex existentia substantialis, quaestionem solvit negando. Distinctis enim eodem modo ac S. Thomas distinxerat (1), variis significationibus nominis *esse*, prosequitur : « Si accipiatur esse quarto modo, pro ipso *existere* quod est per se ipsius suppositi, sic unius rei est unicum esse et unicum existere. Si enim non duo sed unus Christus, non sunt in eo plura talia esse... Natura enim humana Christi non existit per se, nec per *suum proprium existere*, sed assumpta est ad *esse personale Verbi*. Hoc ergo modo intelligimus illam unionem quod, si natura illa habuisset suum proprium existere, etiam per se fecisset suppositum. Nunc autem non habens tale existere, sed assumpta ad esse personale Verbi, non facit per se suppositum, sed sustentatur in supposito Verbi ». (Cf. Quodl. II m. 2). Nec aliter sensit in hac quaestione J. Hidalgo ejusd. O. (Curs. philos. T. IV de Ente D. 2 q. 1 a. 3 ; col. q. 2), Aegidium secutus, quem hoc idem etiam in Sentent. tenuisse mordicus asserit. Alterius opinionis fuit Franciscus a Christo (Praelect. de Incarn. L. V. q. 6) : duplex enim esse in Christo posuit : « Divus tamen Thomas, inquit, contra sentit. Quae ejus sententia his argumentis confirmatur » etc.

Auditis Eremitis S. Augustini, Carthusianos audiamus. Porro Dionys. Carth. (in III q. 5 p. 65, sqq.), recitatis primo diversis diversorum opinionibus, illi demum assentitur ut probabiliori, quae est, inquit, *S. Thomae et Petri de Tarentasia*.

Et haec quidem satis superque sunt ut ex testimoniis veram de doctrina S. Thomae notitiam assequamur. Placet tamen ad ipsa tempora S. Doctoris assurgere, ut quid

(1) V. sup., p. 1-2.

tunc theologi senserint, disquiramus. Propositiones 108 Petri de Tarentasia delatas ad Magistrum Gen. O. P., Joannem Vercellensem, idem ipse Magister ad F. Thomam transmiserat, ut hic judicium de dictis propp. ferret. Porro prop. 34 e delatis sic concipiebatur : « Non aliud est *esse* animae quam quod dat corpori » : quae ipsissima est sententia quam nos in Angelico legebamus. Accipe nunc judicium : « Quod vero ponitur (34), non aliud est esse animae quam quod dat corpori, oportet verum esse. Si anima enim est forma corporis, forma autem et materia sunt *unum secundum esse*, quod non esset verum si aliud esset esse formae, et aliud esse quod dat materiae. Nec propter hoc sequitur quod anima habeat esse corruptibile, sicut corpus ; quia illud esse corpus potest amittere, non autem anima ; et propter hoc remanet anima, habens esse a corpore separata » (Op. cui titulus Responsio ad F. J. Vercell... de artic. 108, etc.) (1).

Scriptum ad Hannibaldum adeo refert sententias S. Thomae ut, etsi ab Hannibaldo illius discipulo (2) prodierit, inter ejus Opera saepius editum fuerit et connumeratum. Quid autem de esse Christi doceat, satis patet ex

(1) Opponet aliquis textum ad rem non pertinere : cui quidem negationi lubens consentirem, nisi S. Thomas multoties supra docuisset idem judicium ferendum esse de compositis, ac de humano nominatim, quod ad unitatem actus essendi pertinet, et de composito theandrico. Quare si per ipsum materia et forma sunt unum secundum actum essendi, necesse est ut idem senserit de humana natura et de persona Christi.

(2) Scribit Tholomaeus de Luca, Historia Eccl. L. 22 c. 23, de Hannibaldo de Hannibaldis : « Hannibaldus... quem F. Thomas valde dilexit, fecitque Scripta super Sententias quae nihil aliud sunt quam abbrevatio dictorum F. Thomae ». — « In Hannibaldi nostri laudibus non omittendum intimum fuisse Thomae de Aquino, quem ut magistrum venerebatur », Echard (Scriptores Praedic. t. 1, p. 261).

seqq. (in III D. 6 a. 2). Auctor objicit sibi : « *Unum est esse* Filii Dei et Patris ; si ergo *est unum esse* hujus hominis et Filii Dei, ergo iste homo erit in *uno esse* unitus Deo Patri. Hoc autem est impossibile. Ergo impossibile est quod hujus hominis et Filii Dei sit unum esse, sed duplex. Esse autem est suppositi ; igitur in Christo erunt duo supposita, et sic Christus erit duo ». Habes objectionem in qua manifeste sermo fit de esse existentiae ; nam si fieret de illo esse subsistentiae personali quod nonnulli distinguunt ab esse existentiae, dictum non fuisset : « Unum est esse Filii Dei et Patris ». Caeterum, hoc ipsum patebit ex dando responso. « Ad 2um dicendum quod esse dupliciter accipitur secundum Philos. in Metaph., scilicet *esse rationis* unum de alio affirmantis vel negantis, et hoc est praedicatum accidentale et est in mente. Quod praedicatur de subjecto, mediante hoc verbo, est copula, non autem in re est, quia nihil est medium in re inter materiam et formam, et multo minus inter praedicatum et subjectum. Aliud est *esse naturae*, et hoc dicitur dupliciter : nam esse aliquando dicit actum primum, qui est rei essentia quae est actualiter existendi principium (potentiale scilicet et subjectivum), et hoc modo dicitur quod diffinitio significat *quid est esse*. Aliquando dicit *actum secundum qui est actus entis* per essentiam, sicut lucere est actus lucentis per ipsam lucem. Primo modo esse dicitur de propositionibus, secundo modo de naturis, tertio modo de naturarum suppositis, quia est actus suppositi ut quod est, formae vero ut quo est. Primo modo hic non loquimur de esse. Secundo modo est in Christo duplex esse, id est, duplex essentia, et sic non unitur humanitas in esse divino, quia sic uniretur Patri. Tertio modo est ibi unum

esse, et hoc modo proprie nec partes nec accidentia habent esse, sed tantum suppositum completum quod est secundum omnia illa ; et hoc modo in esse suppositi divini unitur humanitas ; quod *quidem esse (est) unum*, quamvis ad plura possit habere respectum, sicut esse unius hominis extenditur ad omnes partes ejus. Nec valet : ut unum est esse hominis et Patris ; ergo hic homo est unitus Deo Patri ; quia haec unio facta *est in esse divino prout est in persona Filii, sive sub proprietate filiationis, sub qua non est in Patre* (1) ».

(1) Posterioribus hisce verbis habes solutionem a nobis ex S. Thoma datam sup., p. 123-125.

CAPUT IV

Traditio de mente S. Thomae altius producitur. Testimonia synchronorum, ac nominatim Godofridi de Fontibus et Bernardi de Ganatto.

Testimonium historicum, quo nullum evidentius in medium adduci possit, suppeditant opera Godofridi de Fontibus, seu, ut alii maluerunt, Godefridi a Fontanis, qui in altera dimidia parte saeculi XIII praefuit ut Cancellarius Universitati Parisiensi. Ex tomo XXI operis, cui titulus est *la France littéraire* discimus Godofridum magna quidem admiratione ingenium Angelici doctoris prosecutum esse; sed ab ipso tamen dissensisse, tum in his quae statum religiosum respiciunt, tum, quod magis facit ad rem, in certis quibusdam quaestionibus ac in primis « de natura Dei, *Christi* et Angelorum » (1). Quae autem fuerit diversitas opinandi circa *naturam Christi*, fas est discere tum ex auctoribus coaevis, tum nominatim ex ipsius Godofridi scriptis et operibus.

Et primo quidem, Godofridus omnem omnino distinctionem realem inter essentiam et existentiam infitiabatur. Id testantur fragmenta quae Petrus A. Uccellius apposuit editioni Summae c. Gentiles, a. 1878 ab ipso Romae typis

(1) P. 551. Inferius autem (p. 553 ejusd. tomi) legitur : « Les questions qui touchent à l'essence du Christ, sont disséminées en plusieurs lieux (des *Quodlibets*), de même que les questions où l'auteur s'occupe de la nature des anges. Sur *le premier point* il combat l'opinion de Thomas d'Aquin et de Gilles de Rome, qui soutenaient l'unité d'essence du Sauveur ». *Lege:* d'existence. « Auctor enim *notitiae* synonyma habet nomina *existentia* et *essentia* ».

mandatae: quibus fragmentis infixit titulum: « Scholia quae Godefridus de Fontibus, Cancellarius Parisiensis, *S. Thomae suppar*, marginibus sui exempli Summae c. Gentiles propria manu aspersit ». Fert autem Scholion XXVII in c. 54 Libri secundi c. Gentiles : « Ista *tamen* duo (esse nimirum et essentia, quae S. Doctor ibidem aliud ab alio distinguit), non dicunt diversas res in creaturis, sed *diversas intentiones ejusdem rei*. Quod enim esse quod conveniret rei ex natura et essentia sua, sit aliqua res praeter essentiam, est impossibile. Unde sunt unum re... Ideo oportet quod *alia sit ratio* esse et essentiae in creatura, ut dicatur essentia in quantum est natura quaedam alicujus praedicati absolute non implicans esse vel non esse ; esse vero, in quantum est effectus Creatoris, ab eo ipso illud participans in effectu, ut sic ipsa creatura, in quantum est effectus Creatoris habeat esse a sua essentia formaliter, sed a Deo effective... Non est autem ita in Deo, qui, quia per essentiam suam habet esse formaliter, et a nullo effective, solus est omnino incorruptibilis, cum suum esse sit sua ipius essentia, et ita inseparabile ab illa. In Deo enim esse essentiae et esse in actu non possunt differre *secundum rationem*, ita ut importent diversas intentiones ; nam si divina essentia non esset idipsum quod esse divinum, imo etiam secundum intentiones differrent, non haberet essentia divina, ex eo quod essentia, esse, sed esset ei acquisitum, etiamsi illud haberet ab aeterno. Quia ergo in Deo essentia et esse sunt idem re et intentione, non potest intelligi *essentia Dei quin de necessitate intelligatur ejus esse*. Sed quaelibet creatura potest intelligi absque hoc quod intelligatur esse, quod non contingeret nisi in creatura esse differret ab essentia ratione sive intentione... » Quae paulo fusius

exscripsi ut appareat opinionem Godofredi per omnia convenire cum placitis doctrinae S. Thomae de esse et essentia contrariis. Et hoc quidem Godofridus fatetur : nam particula *tamen* ab initio posita satis demonstrat aliter ac littera fert, ipsum sensisse. Quod, de caetero, certo persuadet collatio Scholii istius cum c. 54 Summœ c. Gentiles, et 1 D. XIX q. 2 a. 2, olim a me productis » (1).

Quare necesse est recurrat eadem antilogia, cum ad quaestionem de Verbo incarnato ventum fuerit. Et re quidem vera, Godofridus, Scholio 2 in c. 40 L. IV Summae c. Gentiles, opponit Angelico doctori sententiam opinioni Tiphani simillimam. « Quandocumque, inquit, suppositum non habet nisi unam naturam, constituitur per illam naturam. Quando habet plures naturas, si ex illis resultet una natura, per utramque naturam constituitur suppositum, quia utraque natura facit ad esse ejus ut ex materia et forma sit una natura. Si autem ex illis non resultat una natura, tunc principalis natura constituit suppositum, et non principalis praesupponit suppositum in quo fundatur, sicut in igne igneitas est principalis natura, non calor. Ideo ignis constituitur in esse suppositi per igneitatem, non per calorem..... Anima autem et corpus sunt duae naturae, ex quibus fit una natura humana ; et, si non uniatur alteri naturae excellentiori, constituit suppositum ; sed cum unitur divinitati, non, sed sustentatur in hypostasi Verbi. Hoc autem est possibile, quia ordo naturarum ex quibus non fit una natura, talis est quod natura quae conjungitur naturae principaliori, non constituit suppositum, sed praesuppo-

(1) V. sup., p. 26, 32-35.

nit constitutum a natura principali. Et quia natura accidentalis dependet a substantiali tanquam a principaliori, ideo non constituit suppositum, sed fundatur in supposito naturae divinae : ex quo patet quod, licet Deus *acceperit hanc carnem et hanc animam, tamen ista non constituunt suppositum, quia ad hoc quod aliqua natura constituat suppositum, non sufficit quod sit haec, sed requiritur quod non conjungatur* naturae principaliori et excellentiori ». Hactenus Godofridus in suis Scholiis, de *natura Christi* disputans adversus D. Thomam.

Porro, quod ex industria voluerit in his improbare doctrinam de uno esse ut eam quae sit Angelici doctoris, manifestius adhuc efficitur ex Apologia quam adversus ipsum pro S. Thoma instituerunt Bernadus a Ganatto seu de Alvernia, Thomae et Godefrido synchronus, et post ipsum Capreolus in III Sent. D. 6 q. un. a. 2 et 3. Hic enim et Bernardi et sua propria responsa profert, ut argumenta a Godefrido contra probationes et declarationes S. Thomae contorta rejiciat atque dissolvat (1). Ergo mens S. Doctoris est adeo aperta, ut eo vivo, vel ad summum recentissime defuncto, Parisiis ubi modo docuerat, ab eruditissimis viris et impugnaretur et defenderetur (2).

(1) Bernardus de Ganatto, sive de Claromonte vel de Alvernia, « scripsit Lecturam super Libros Sentent.; item contradicta Hugonis (Henrici) de Gandavo quibus impugnat S. Thomam ; item contra Godefridum eadem de causa ; item contra Joan. Neapolit. eadem de causa, quae alias intitulantur Quodlibeta contra H. de Gandavo et Godefridum de Fontibus ». Cf. Quétif et Echard (Scriptores O. P. T. 1 p. 493-495). Latent haec in Bibliothecis inedita.

(2) S. Thomae obiit a. 1274, et Godefridus a. 1290 ; Bernardus a Ganatto, qui vel ab a. 1270 commentarios edebat, vita functus est a. 1303.

Cresceret tamen certitudo si quis haberet prae manibus Quodlibeta Godefridi ad quae Bernardus et Capreolus alluserunt. At haec typis mandata nunquam fuerunt. Mihi tamen occurrit Manuscriptum in quo omnia integre continentur (1). Porro Quodlibeto VIII (fol. 342) Godefridus movet ex professo quaestionem : « Utrum Christus dici debeat quod sit unum vel multa » ? Qua soluta, quaerit ulterius (fol. 344 in verso) « quid dicendum de alio articulo, scilicet quomodo in Christo *est unum esse vel plura* » ?

Nunc illum audi recitantem D. Thomae sententias, non rebus tantummodo descriptis, sed acceptis ipsismet vocibus, ut iisdem ipse contradicat (f. 345). « Ideo ponitur secundum *istos* quod in Christo non est nisi *unum esse,* scilicet esse suppositi divini. Sed in aliis hominibus est natura humana conjuncta esse creato, et substantificatur in supposito creato ; et quia natura humana non potest existere, nisi sit conjuncta alicui esse, ideo si separaretur a Verbo, cum jam non existeret sub esse Verbi, non substantificaretur in supposito Verbi..... *Sed illud*, inquit Godofredus, *non videtur stare posse. Supposito enim quod essentia et esse essentiae et esse existentiae omnino sunt unum realiter*, sicut est alibi declaratum (Quodl. nempe III quaest. 3, fol. 88, sqq.), ubicumque reperitur aliqua essentia vel aliquid cui convenit ratio essentiae, in tantum etiam ibi reperitur existentia. Et ideo oportet ponere quod in substantia et accidente, vel uno vel pluribus, quot sunt res quibus conveniunt plures rationes essentialiter, vel quae sunt plura secundum

(1) Bibliothèque nationale. Fonds latin, n. 3118, in f. Ibidem sunt et alia Quodl. Godefridi mss. non pauca, vel integra, vel plus minusve diminuta.

essentiam, tot etiam oportet ponere res quibus conveniant plura esse ».

Quibus dictis, mox (f. 346) argumenta producit quibus directe probet *esse* duplex, unum divinitatis, humanitatis alterum. « Cum enim forma det esse naturae, manifestum inconveniens est ponere in Christo formam substantialem, scilicet animam unitam materiae propriae, *nullum esse ei dans :* impossibile est enim formam esse in materia et non dare ei esse, sicut ponere albedinem in subjecto et non dare ei esse album : sicut hoc implicat contradictorie, ita et illud ». Vides hoc ipsum argumentum esse quod S. Thomas bis sibimet objecit et solvit, tum scilicet in III D. 6 a. 2 ad 1, tum in Summa, 3 p. q. 17 a. 2 ad 4. Cum ergo Godofridus confutandam susceperit doctrinam qua negatur esse creatum existentiae, necesse est D. Doctor hoc ipsum esse negaverit.

Sed, ut nihil omnino dubii superesse possit, audiatur iterum Godofridus *opinionem quam impugnat*, ipsissimis verbis S. Thomae declarare (fol. 349).

« Nec tamen propter hoc (quod natura humana dicitur habere respectu Verbi Dei modum accidentis, etsi nec sit accidens nec proprie accidentaliter adveniat, sed hypostatice, ut loquitur Godofridus.) negari debet in Christo *duplex esse secundum rem, prout aliqui tali ostendunt suasione :* quia nimirum esse formae vel naturae quae non pertinet ad esse personale vel suppositale subsistentis, non dicitur esse illius simpliciter, sed secundum quid, sicut esse album est esse Socratis, non in quantum est Socrates, sed in quantum est albus. Et ita in Socrate albo est duplex esse : unum secundum quod est Socrates, et aliud secundum quod est albus. Ideo quidem si natura humana adveniret Filio Dei non hypostatice vel persona-

liter, sed accidentaliter, sic etiam in Christo poneretur duplex esse : unum secundum quod est Deus, aliud secundum quod est homo. Quia igitur natura humana advenit Filio Dei hypostatice, et pertinet ad esse personale Christi, opinandum videtur quod secundum naturam humanam non adveniat sibi novum esse personale, *sed solum nova habitudo esse personalis praeexistentis ad naturam humanam*, ut scilicet persona illa jam dicatur subsistere non solum secundum naturam divinam, sed etiam secundum humanam. Et ponitur exemplum : *quia esse capitatum*, etc. pertinent ad unam personam Socratis, ideo ex omnibus istis non fit nisi *esse unum* in Socrate. Et si contingeret quod post constitutionem personae Socratis advenirent ei manus vel pedes, ex eis non accresceret Socrati aliud esse, sed solum relatio quaedam ad hujusmodi ; quia diceretur *esse* non solum secundum ea quae primo habebat, sed etiam secundum ea quae postmodum sibi adveniunt ». Quid aliud haec sunt quam quae scripsit S. Thomas (3 p. q. 17 a. 2 in corp.) ? (1)

(1) Lege textum integrum S. D., ex quo pauca refero : « Esse capitatum, et esse corporeum, et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis ; et ideo ex omnibus his non fit nisi unum esse in Socrate. Et si contingeret quod post constitutionem personae Socratis advenirent Socrati manus, vel pedes, vel oculi, sicut accidit in coeco nato, ex his non accresceret Socrati aliud esse, sed solum relatio quaedam ad hujusmodi ; quia scilicet diceretur esse non solum secundum ea quae prius habebat, sed etiam secundum ea quae sibi postmodum advenirent... »

Inquirenti autem cur Godofridus nomen S. Thomae non scripserit, cum ejus doctrinam impugnaret, respondebo, theologis hujus aetatis in moribus non fuisse, ut sententias catholicorum auctorum, recentium imprimis, sub eorum nominibus recitarent et recitatas impugnarent. Hoc quod de Scoto jam notavi, notari potest de S. Thoma, de S. Bonaventura, de Al. Halensi, etc. Caeterum, quis non sentiat auctorem illum impugnari cujus ipsa verba fuse recitantur, qui vel hoc ipso tempore defenditur a suis ut impugnatus, quique solvenda suscepit argumenta quibus impugnatur ?

Prosequitur Godofredus : « Sed sic non oportet dicere in proposito, considerando *ipsum esse ut est esse existentiae simpliciter*. Cum enim, ut dictum est, in assumptione naturae humanae advenit supposito divino alia natura substantialis, cui non minus, imo magis *convenit esse existentiae realis* proprium, quam cuicumque accidenti ; si concedatur quod natura accidentis adveniens dat aliquod esse, licet imperfectum, quia est natura imperfecta, quomodo *dicetur quod natura humana in Christo nullum esse proprium haberet* ? Ex simili ergo tali de accidente non potest concludi nisi quod non dat *esse* accidentale, quia non est accidens informans et inhaerens ut albedo, nec est substantia accidentaliter adveniens quasi ex habitudine sua ad ipsum cui advenit, aliquod esse accidentale consurgat, sicut de vestimento respectu vestiti ; sed dat *esse substantiale*, non quidem secundum se, quia non dat novam rationem suppositi vel personae, *sed verum esse existentiae* substantialis (dat) alteri perfectiori cui in ratione suppositi unitur, et sic non habet Christus ratione humanae naturae esse sub ratione subsistentiæ ».

Sed de his satis : quae tamen non sine fructu diffusius forte relata sunt. Quid enim de mente S. Thomae suo tempore creditum sit, ac ideo quid senserit ipse, luculentissime demonstrant. Nec mirum igitur esse debet, si statim ab hac aetate, per continua plura saecula, quicumque defenderunt unum esse, S. Thomam ut patronum advocarunt ; quicumque duplex esse tenuerunt, Angelicum adversari sibi confessi sunt. Nec possum quin aliud documentum et argumentum ab historia theologiae deducam. Ab occidente saltem saeculo decimo tertio theologi scholastici qui de Incarnatione scripserunt, si non

omnes, plurimi saltem, quaestionem moverunt: utrum in Christo sit duplex esse, vel duplex existentia? Porro apud omnes quaestio fert unum et eumdem sensum, illum nempe quem intelleximus. Quis crediderit unquam eidem quaestioni ter, imo, si q. de unione Verbi incarnati D. Thomae dederis, quater ab Angelico doctore de industria tractatae, et toties negando solutae, sensum subesse plane diversum ab eo quem alii omnes illis verbis indiderunt, et hoc ipsum tanto temporis tractu non fuisse notatum?

CAPUT V.

Doctrina S. Thomae doctrinae Patrum comparatur.

Et primo quidem, eamdem ac ipse personae vel hypostasis notionem exhibent : nempe quod hypostasis est individuum naturae completae per se et in se existens seu subsistens ; ac propterea humanitas Christi, quae non in se et per se, sed in Verbo existit, rationem hypostasis prae se ferre non potest. « Sciendum autem, inquit Damascenus, SS. Patres hypostasim et individuum et personam pro eodem usurpasse ; nempe pro eo quod per se atque in propria subsistentia ex essentia et accidentibus (individualibus) constat et subsistit, numeroque differt, ac certum aliquem significat ut Petrum, Paulum, vel hunc equum » (Dialect. c. 43). Ecce tibi substantiam individuam in se et per se existentem. Et c. sq., nempe 44 : « Hypostasis id proprie est ac dicitur quod seorsim ac per se subsistit ». « Enhupostaton autem (prout ab hypostasi contradistinguitur), dicitur ea natura quae ab alia hypostasi assumpta existentiam *in illa* obtinuit. Unde etiam Domini caro, cum *per se ac seorsim*, ne momento quidem temporis, extiterit, hypostasis non est, sed potius enhupostaton quid. Nam subsistit (ὑπέστη-producta est ad existentiam) in Dei Verbi hypostasi a qua assumpta est, quamque pro hypostasi habuit, ac etiamnum habet » (ibid. c. 44). Quae ipsissima ratio est ob quam S. Thomas negat humanam Christi

naturam esse personam : quia nempe non in se existit, sed in assumente Verbo.

Rursus (de F. Orth. L. III c. 6, non procul ab init.) : « Hypostasis est illud quod habet id quod commune est cum propria sua nota (i. e. essentiam cum singularitate), et insuper habet ut *per se existat*. Essentia enim non *per se existit*, sed in hypostasibus seu personis consideratur ». En iterum notas ab Angelico significatas : essentiam scilicet individuam, sed quae in se existat : quo posito vocatur et est hypostasis. Hinc ibid. c. 22 docet iterum humanitati Christi deesse rationem hypostasis, quia « a prima sua existentia vere unita est Verbo Deo, seu potius in ipso existit ».

Nec aliter magnus ille theologus qui contra Monotheletas decertavit, S. Maximus confessor. Explicat quid sit natura, quid hypostasis et persona (Pat. Graeca (1) T. 91 p. 260, sqq.). « Essentia ipsam naturam speciemque, id quod est secundum se, significat. Hypostasis vero seu persona aliquem de essentia denotat, id est, cui insit natura vel essentia... non idem sunt hypostasis et ἐνυπόστατον... ἐνυπόστατον vero ipsum significat quod in hypostasi et non in seipso per seipsum existit », et sic ab hypostasi distinguitur.

Leontius (in sol. arg. Severi, ap. Galland. T. XII p. 714) : « Hypostasis non simpliciter nec proprie perfectum declarat, sed *quod per se existit ;* secundo autem loco, perfectum. Natura autem quod *per se existit* nequaquam declarat, proprie vero perfectum ». Quod ait, hoc est. Perfectio rei sumitur ex natura, cum haec sit ex sua notione id quo res est id quod est. At hypostasis di-

(1) Numeri tomum et paginam signantes ad Patrol. editam a D. Migne referuntur.

cit hoc quod *in se existit*. Quae autem sit nobilitas et perfectio rei, judicandum est ex ipsa natura vel essentia. Sunt enim hypostases aliae aliis perfectiores, secundum quod sunt subsistentes in hac vel illa natura.

Rusticus diac. (in disput. contra Acephalos, Pat. Gr. T. 67) totus est ut probet humanitatem Christi non esse personam, etsi nihil omnino minus habeat quam aliae naturae. Objicienti autem haeretico : « Deus Verbum individuum est divinae naturae ; humanitas vero naturae rationalis individua ; hae vero duae naturae ; duae igitur personae » ; respondet : « Etsi in reliquis rationalibus creaturis substantia individua persona est, sed non in Christo » (l. c. p. 1196). De quibus cum multa doctissime dixisset, concludit aiendo : « Nostra natura in Christo non etiam persona est. Non enim *in semetipsa et secundum semetipsam segregatim* habet *esse suum*, sed *in Verbo subsistit* » (ib. p. 1234). Et inferius : Quod homo individuus sit persona, « haec causa est quod sit subsistentia rationalis individua. Sed, ut diximus, illa humanitas non in semetipsa, (sed) in Verbo habet subsistentiae rem : nec enim ut sua ipsius separatim esset, sicut nos, sed ut uniretur Verbo et ejus esset proprium indumentum... creata est : illa igitur de causa *magis in subjecto est quam subjectum*. Sicut igitur, v. g. in homine puro *subsistendi carnem* causa est anima rationalis, qua sejuncta caro non manet in sua essentia, sed ad non esse properat incessanter... » (ib. p. 1239). Quae sane cum theoriis Angelici mire cohaerentia videntur ; eo vel maxime quod antea (p. 1198) jam scripserat : « Deus illam humanitatem ad hoc creavit non ut sui, sed ejus esset ; et super *semetipso eam fundavit tanquam super* basim quamdam vel fundamentum, ut vera

dicam... Igitur si omnis individua natura persona est, sed illa omnis quae non ad hoc creatur ut alteri inseparabiliter unita permaneat. Nam et humanum corpus non est alterius personae ab anima tua ». Quo in loco diserte significatur excidere naturam individuam a ratione personae non ideo solum quod alteri adhaereat inseparabiliter, sed etiam quod in eo *tanquam in basi incumbat*, ut corpus in anima. Hoc autem, quam facile intelligitur, posita semel unitate τοῦ esse, non est quod dicam.

S. Sophronius (Epist. synod. ad Sergium — in Conc. VI lecta — Labb. Concil. T. 6 p. 865) : « Incarnatur ergo Deus... non praefactae carni copulatus... vel animae praeexistenti conjunctus ; sed tunc his (corpore et anima) ad existentiam venientibus, quando eis ipsum Verbum et Deus copulatus est... Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro ; simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis. *In illo quippe et non in se* obtinuit existentiam (ὕπαρξιν). Una enim cum conceptu (συλλήψει) Verbi producta sunt ad consistentiam (σύστασιν), et unita sunt ei secundum hypostasim, simul cum ipso proferri ad *consistentiam* realiter veram et indivisam, quae nec separationem (nestorianam) patitur, nec conversionem vel confusionem (eutychianam) admittit ». Est qui legit et interpretatur : προς σύστασιν, *ad existentiam*, quae quidem existentia nec separationem nec confusionem vel conversionem admittit ; ut insinuet non solum esse duas existentes naturas, quod a nullo viro catholico negatur, sed duas etiam existentias. At in textu graeco nihil hujusmodi reperitur, ut legenti statim patet. Imo vero, si D. Thomae sensus exprimere voluerit Sophronius, vix apparet quibus aliis verbis uti debuerit.

Dignus etiam est quem adducamus, Theodorus Abu-

cara, theologus insignis, J. Damasceno synchronus, disputans contra Nestorianum haereticum (P. Gr. T. 97 p. 1178, sqq.). « *Haeret*. Doce quid assumpsit Christus, naturamne an hypostasim? *Orthodox*. Naturam. *Haeret*. Cum proprietatibus an sine his? *Orthod*. Cum proprietatibus. *Haeret*. Hypostasimne assumpsit? *Orthod*. Minime. *Haeret*. Et unde hoc constat? *Orthod*. Et ego hoc tibi explicabo. Est enim aliquid quod dicitur hypostasis; et est aliquid quod dicitur hypostaticum (i. e. ad hypostasim pertinens), et commune utrique est, componi ex natura et proprietatibus (individualibus). Differunt tamen, quia hypostasis non est pars alicujus; hypostaticum vero pars est. V. g. Petrus non est pars alicujus, quare hypostasis est; corpus autem Petri pars est, quare hypostaticum et non hypostasis est corpus Petri, quamvis sit natura cum proprietatibus. Sed non satis est compositam esse naturam cum proprietatibus; sed oportet concurrere ad hoc, et non esse partem. Quia igitur pars Christi est assumptum corpus animatum, idcirco non est hypostasis, sed est hypostaticum; et sicut non numeratur cum Petro corpus ejus ut sint duo, alterum enim cum altero copulatur; sic neque cum Filio Dei incarnato connumeratur ejus corpus animatum ut sint duo. Et haec quidem mihi videntur satis esse, ut solvatur difficultas ».

Secundum eumdem sensum scripsit Theodorus Hagiopol. (T. 3 Auctuar. Biblioth. PP.) in disputatione cum Nestor. « Quia igitur pars Christi est assumptum corpus animatum, *idcirco* non est hypostasis, sed hypostaticum ». Quam quidem rationem et ipse reddidit S. Thomas, tum ut personae conceptum explanaret, tum ut personae rationem ab humana natura Christi sejungeret (1).

(1) V. sup., p. 74, 90.

Sed non unum theologum hic audire est qui contendat haec asserta Patrum nihil conferre pro sententia S. Thomae speciatim commendanda : communis enim doctorum mens est, humanam Christi naturam propterea non esse personam, quia non existit in se et per se, seu non est subsistens, sed existit in Verbo. Quare tota controversia non in hoc versatur, sed in alia quaestione, quid nempe sit naturam illam assumptam non existere in se et per se, sed in Verbo solum.

Demus, si placeat, hoc quod opponitur de materiali modo loquendi, etsi forte non omnibus arrideat formula qua dicitur humanitas Christi super Verbum ut in basi fundatam esse. Restat tamen ut dicta Patrum hactenus recitata illi sententiae magis patrocinentur, quae obvio eorum sensui sese conformiorem exhibuerit. Jamvero quid obvia significatione sibi vult hoc quod dicitur *non existere per se* ? Idipsum, ni fallor, quod exprimimus, quando dicimus aliquem hoc aut illud non videre per se, per se non operari. At per se non videre, per se non operari, quid aliud est quam videre per oculos alterius, per manus alienas operari ? Ergo non existere per se, dictum de substantia, sensu maxime proprio denotat hoc ipsum quod est non existere per suum esse. Aliud accipiamus, nimirum *existere non in se sed in Verbo*. Tres inexistendi modi sese considerandos exhibent. Aliquid enim existit in alio, vel tanquam in virtute qua conservatur et in esse continetur, sicut in Deo creaturae, secundum illud : « In ipso vivimus, movemur et sumus » (Act. XVII, 28) ; vel tanquam in subjecto cui inhaeret, ut accidentia ; vel tanquam in hypostasi cujus natura est, sicut humanitas in homine. Porro duo modi priores in re praesenti seponendi sunt, ut per se patet ; tertius igitur eligendus est, eo vel ma-

xime quod secundum Patres caro Christi est Christo propria non secus ac mea mihi. At natura hominis non alio esse existit quam ipso esse personae hominis ; ergo concludendum iterum est mentem S. Thomae plenius quam aliam quamlibet dictis Patrum respondere.

Sed mens Patrum altius fodienda est. Itaque Patres magno consensu praedicant humanam Christi naturam non ante extitisse quam Verbo Dei substantialiter uniretur, ac existentiam ipsamet assumptione in Verbo recepisse : neque enim, si semel poneretur unioni praeextisse, salva foret unitas hypostasis et personae. « Non enim prius *existenti per seipsam carni* unitum est Dei Verbum, sed sanctae Virginis uterum inhabitans modo incircumscripto, *in sua ipsius hypostasi*, ex purissimis Mariae semper Virginis sanguinibus, carnem animatam anima rationali et intellectuali *consistere fecit* » S. Joan. Dam. (de Fid. orth. L. III c. 2). « Quomodo igitur haec in Christo humanitas, cum *nunquam per se* in propria hypostasi fuerit, sed in Verbo Dei quod eam assumpsit, *esse et subsistere sortita sit*, hypostasis dici unquam queat ? » Theodor. presb. Raythu (L. de Incarn, P. G. T. 91 p. 1493). Nec aliter auctor Dialogi IV de Trinit. (P. Gr. t. 28, inter Opp. S. Athanasii). Exhibentur inter se concertantes Orthodoxus et Apollinarista quidam. « *Apoll.* Jesus annon est homo ? *Orthod.* Ne hominem quidem ipsum absque Verbo substitisse agnosco. *Ipsius enim existentiam* in ipsa unitione Verbi designo... *Apoll.* Quid illud est, sancti participaverunt Verbum, et Deus Verbum participavit (humanam naturam) ? Quodnam est hoc discrimen ? *Orthod.* Quod sancti prius extiterunt, et tum demum participaverunt Dei Verbum ; hic vero non ita est, sed Deus Verbum quod erat ante sae-

cula, cum vellet fieri homo, sanctificavit Virginem, et corpus ex ea sibi univit, *non prius existens et tunc unitum, sed in ipsa existentia uniens*, ἐν αὐτῇ τῇ ὑπάρξει ἑνώσας » (p. 1252, 1257). Expressius adhuc Athanasius c. Apollin. L. I n. 16 ait « unum esse Christum secundum indeficientem existentiam (καθ' ὕπαρξιν ἀνελιπῆ) ».

Simile quid dabit S. Maximus in Opusculo ad Joannem Cubicularium, quo fidei formulam describit: « Verbum ex Maria carnem sibi in eamdem hypostasim copulavit, consubstantialem nobis, et animatam anima rationali et intelligente; carnem, inquam, ejusmodi quae nec oculi ictu prius substiterat, sed in ipso Deo Verbo tum ut esset, tum ut subsisteret accepit : ἐν αὐτῷ τῷ Θεῷ Λόγῳ καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ ὑποστῆναι λαβοῦσαν ». Eodem sensu scripsit J. Damasc. (de Fide orth. L. III c. 11) : « Itaque Deus Verbum, carnem assumens, neque naturam quae sola cogitatione conspicitur, accepit... sed illam demum quae in individuo est,... non quae in se substiterit (οὐ καθ'ἑαυτὴν ὑποστᾶσαν) ac individuum prius fuerit, posteaque ab eo assumpta sit, *sed quae in ipsius persona extiterit* (ἀλλ' ἐν τῇ αὐτοῦ ὑποστάσει ὑπάρξασαν) ». Nec aliter Joannes papa II in Ep. ad Avienum (1), in qua Christum asserit « in deitate et humanitate perfectum, non antea existente carne, et postea unita Verbo ; sed *in ipso Verbo initium ut esset accipiente* ». Cf. Epiph. Haeres. 77 n. 29.

His gemina prostant in Confess. fidei Justiniani, Concil. V : « Unitas secundum hypostasim significat quod Deus Verbum... non *praeexistenti homini* unitum est, sed in utero S. Virginis sibi *fabricavit ex ipsa in propria hypostasi* carnem animatam anima rationali et in-

(1) Textus recitatur a Petav. (de Incarn. L. IV c. 11).

tellectuali, quod est humana natura..... Neque enim humana natura Christi per se absolute unquam dicitur,... sed *in hypostasi Verbi principium habuit* existentiae ». (Mansi Concil. T. 9 p. 555).

Graecis praesertim auditis, audi rursus Latinos. Filius Dei « non sic assumptus est, inquit Augustinus, ut prius creatus post assumeretur, sed ut *ipsa assumptione* crearetur » (c. Serm. Arian. c. 8). Et S. Leo (ep. 35 ad Julian. Coens. c. 3) : « Dominus... nec animam quae anterior extitisset, nec carnem quae non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumpta est ut prius creata, *sed ut ipsa assumptione crearetur* ». Ipse idem hoc in Nestorio castigat quod juxta sententiam istius non est in conceptu ipso facto unio Verbi cum carne, sed cum creato homine sola sociatio (Serm. 28). « Quam carnem non conceptam accepit Unigenitus Deus, sed in ea est Deus altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus est in Virgine et de Virgine secundum carnem, qui sibi de qua et in qua crearetur, creaverat genitricem » S. Fulg. (de Incarn. n. 5).

Acute quidem et verissime notavit Franzelin (de Verbo incarn. th. 25) Patres in hisce suis disputationibus et formulis, non eo solum intendisse mentem, ut excluderent prioritatem temporis, sed prioritatem etiam quae est *naturae*. Verissime, inquam, id notavit : neque enim is error Nestorii fuit, quod doceret *separatismum illum primitivum* quem Güntheriani finxerunt, ut late probant et Franzelin l. c. et P. Garnerius (Diss. 1 in Opp. Marii Mercat. P. 2 — Pat. Lat. T. 48 p. 1094). Itaque, prae assumptione humanitatis ad Verbum nulla non modo temporis, sed ne ontologica quidem et naturae, admitti potest existendi prioritas. At, si credatur egregio illi theologo,

existentia quae secundum Patres assumptionis non praeiverit, est existentia non humanitatis, sed hominis seu humanae personae. Qua de causa putat esse creatum naturae prœdictis formulis exclusum non fuisse. Vide l. c. p. 219 cum nota. Jamvero, praeexistentem excludunt Patres non *hominem* modo, sed carnem, sed corpus, carnem animatam anima rationali, primitias massae nostrae, humanam naturam, animam, nostram naturam, id est ipsammet humanitatem, ut relegenti textus descriptos manifesto patebit. Verum, eodem auctore, si praeexistentia quam excludunt Patres, semel admittatur, fundamentum Nestorianismi retinetur. Ergo mens Patrum est, ut salva sit unitas personae, negandam esse praeexistentiam ipsiusmet naturae. Fac autem haec natura suam existentiam in unione retineat, seu quod perinde est, uniatur ut existens esse proprio, necesse est ut unioni et assumptioni praeextiterit, saltem prius natura ; praeextiterit, inquam, non modo logice secundum purum ordinem nostrum concipiendi simpliciora prae aliis, sed ontologice, id est secundum ipsum ordinem rerum ; siquidem intrat in compositionem cum existentia sua vere praesupposita. Quae quidem argumentatio duobus modis vehementer confirmari potest.

Et primo quidem, si *natura prius* extitit humanitas, natura prius extitit homo : quod Franzelin aliique negant, sed, ut videtur, immerito. Rationem quaeris : accipe solidam. Individua natura quae suum habet esse, modo integra sit et rationalis, est hypostasis et homo. Testem appello S. Thomam, Tiphanum aliosque bene multos, et Franzelin ipsum ; sed in illo priori naturae, quod assumptioni praesupponitur et realiter quidem, est hujusmodi. Perinde igitur est sive dicatur humanitas

vel homo praeextitisse natura prius unioni : nam ex utraque formula sequeretur id quod excludere Patres voluerunt, hominem seu personam humanam assumptam a Verbo fuisse. Hinc sapientissime docuit Angelicus : « Unioni humanae naturae ad divinam praesupponitur unio animae et corporis secundum quod constituit humanitatem, non secundum quod constituit hominem. Illud enim quod in Christo est constitutum ex anima et corpore tantum, quod *unioni praesupponitur*, non est *totum quod per se subsistit*, sed aliquid ejus » (Quodl. 9 a. 2 ad 1 ; col. ad 2).

Altera quam promisi, confirmatio sumitur ex formulis in eisdem Patrum textibus frequens occurrentibus. Scilicet, per ipsos « natura nostra non sic assumpta est ut prius creata, sed ut *ipsa assumptione* crearetur » (Augustinus, S. Leo) ; illa humanitas fundata est in Verbo tanquam in basi (Rustic. diac.) ; in Verbo obtinuit existentiam (Sophron.) ; in Verbo esse et subsistere sortita est (Damasc., Theodor. Raythu, S. Maximus) ; in Verbo principium existentiae habuit (Conf. Justin.), etc. Sed his et aliis hujusmodi sua non habetur plena veritas, si aliud et aliud est esse Verbi incarnati, hoc divinitatis, illud humanitatis. Hac enim in hypothesi, ut recte Suarez in alium finem argumentatur (superius p. 149-150), alia actione reali fit assumptio, alia, productio ad esse humanae naturae, et ita quidem ut haec illi re praecurrat. Quo semel posito, natura dici nequit *ipsa assumptione creata ;* nec existentia ab assumptione, sed imo assumptio ab existentia realiter praesupposita dependet. Item, humanitas illa formaliter non obtinuit existentiam in Verbo, cum haec existentia non magis a Verbo assumente, quam ab aliis personis pependerit.

Interrogabit aliquis : Patres ergo distinctionem inter essentiam et esse noverunt, et unius ab altera separabilitatem ? Cui respondendum : Cur nulli noverint, si verum id fuerit ? At certe, licet quaestionem illam ex professo non tractaverint, ita de Verbo incarnato locuti sunt, ut inferre liceat distinctionem illam ac separationem ab iis implicite saltem admissam esse : nam ea dixerunt et scripserunt quae nullam idoneam satis interpretationem suscipere videantur, nisi natura humana Christi suo careat esse creato.

Arbitrantur tamen theologi plures (V. Franzelin, th. 34) sententiae quam, Aquinate duce, defendimus, vehementer adversari Patres.

Textus in quibus hujusmodi dissensus eorum judicio contineretur, expendamus. Docent Patres, inquiunt, naturas duas *existentes* in unionem venisse cum omnibus suis *proprietatibus*, ad quas certe pertinet *existentia*. Quod convenerint duae existentes naturae, nemo negabit: neque enim Verbum in humanitate mere *possibili* subsistit. Quod praeterea, ambae naturae in unione suas omnes proprietates retineant, et hoc fides nostra profitetur. Sed neque fides neque ratio naturalis jubent existentiam annumerari proprietatibus naturae : divina quippe natura hoc ipsum est quod esse suum ; creata autem una cum suis proprietatibus ab esse distinguitur, cum nec sit esse, nec ab ipsa fluat esse. Quae responsio satis est ut argumentum plene solvatur. Sed juverit audisse textus. Primus est S. Maximi (in fidei expositione quam habes P. Gr. T. 91 p. 572) : « Ex duabus naturis perfecte se habentibus secundum *rationem ipsius esse cuique propriam* (κατὰ τὸν ἴδιον τοῦ εἶναι λόγον), ex divinitate, inquam, et humanitate componi unum Christum

sive unam hypostasim confitemur ». Optime quidem : sed et nos duplex *esse naturae* credimus, etsi nonnisi unum *esse existentiae* ponamus, ne cum duplici natura duplex etiam ens duplicemque personam habamus. Caeterum, totus contextus clamat hoc S. Maximi loco de existentia nihil agi, sed tantummodo de incolumitate perfecta naturae proprietatumque naturae, quam asserit adversus Eutychianos aliosque naturae humanae Christi violatores. Propterea dixit τοῦ εἶναι, minime vero τῆς ὑπάρξεως.

Tum sese conferunt ad S. J. Damascenum et ad Euthymium. Et ille quidem habet (Dialect. c. 29) : « Vocabulum *hypostasis* habet duplicem significationem. Nam, cum absolute usurpatur, id quod mere existit, significat ; quae autem per se est hypostasis, individuum significat, et personam peculiarem ». Iste vero (Panopl. Tit. 5) : « In Christo personalem quidem hypostasim agnoscimus unam ; quae autem *pro existentia* sumuntur, eas affirmare duas licet, ut ne alterutram earum quae insunt ipsi naturam sine sua existentia esse dicamus. Etenim hypostasim hujusmodi quae existentiam denotat, in natura omni invenimus ; personam vero neutiquam in omni » : qui textus non invenitur sub Titulo 5 sed in 16 (P. Gr. T. 130 p. 1064). Hoc autem in loco Euthymius, monachus graecus saec. XII, verba nullius antecedentis Patris refert, sed suam sententiam ex Patribus tamen eductam. Responsurus quaestionibus Eutychianistarum, ut loquitur, qui sic inferebant : « Si duae sunt in Christo naturae, duae erunt et hypostases. Neque enim natura ulla sine hypostasi », animadvertit quod « hypostases aliae sunt personales... aliae ὑπαρτικαί, quo nempe res quae quoquo modo sunt, ab iis quae nullomodo sunt, distinguuntur.

Quamobrem hypostasim personalem unam in Christo dicimus ; ὑπαρτικάς autem duas affirmare licet, ut ne alterutram naturarum quae insunt ipsi, nusquam esse dicamus. Etenim hypostasim ejusmodi quae ὑπαρτική est, in natura omni reperimus ; personalem vero, neutiquam ». Responsi summa est : si per hypostasim intellexeris personam, una in Christo est ; si rem quae quoquo modo sit in rerum natura, dici possunt hypostases duae, cum sint in Christo salvae duae naturae. Quod quid pertineat ad quaestionem controversam, plane non video.

Sed adeundus tertius testis, Leontius philos. (P. Gr. T. 86 p. 1240, de Sectis Act. 7) : « Sciendum hypostaticum et hypostasim duo significare. Significat enim hoc quod simpliciter existit (τὸ ἁπλῶς ὄν) : qua significatione dicimus accidentia esse hypostatica, etsi in aliis esse habeant. Significat et id quod per se est (το καθ'ἑαυτὸ ὄν), ut individua substantiarum. Item non hypostaticum (ἀνυπόστατον) duplex est. Nam expers hypostasis dicitur quod nullomodo existit (τὸ μηδαμῶς ὄν), ut traglelaphus et hippocentaurus. Rursus, expers hypostasis dicitur non id quidem quod est non ens, sed quod in alio et non in se subsistit aut existit, ut accidentia ». Quibus perlectis, nemo non videt humanae naturae Christi non asseri propriam distinctamque existentiam (ὕπαρξιν), sed id solum quod est non esse nihil, ut ea sunt quae nec hypostatica sunt in latiori nominis significatione, puta traglelaphus et hippocentaurus.

Aiunt secundo : Patres duplex esse Christi commemorant : aliud quod « principium habet ab aeterno Patre, et omne tempus antecedit », aliud quod « de carne Virginis sumpsit in tempore ». Ita Cyrill. Alex. (L. I c. Nes-

tor.). Solutionem antea dedimus ex S. Thoma non repetendam (1).

Opponunt tertio locos sane innumeros, in quibus Patres concordi sententia pronunciant Verbum id totum accepisse quod initio creaverat, quodque ceciderat et curandum erat. Et S. Thomas et nos post ipsum idem dicimus, salva tamen existentiae substantialis unitate. Quae quo sensu quaque mensura intelligenda sint, abunde satis explicavimus (2), ut ne una quidem ejusmodi sententia sit quae datis explicationibus reluctetur. Restat igitur ut concludamus multos Patrum textus cum doctrina doctoris Angelici mire cohaerere, repugnare nullos.

(1) V. sup., p. 109-110 et 148.
(2) V. sup., p. 149.

CAPUT VI.

Varia diversorum systemata, cum sententia doctoris Angelici comparanda, primum exponuntur.

Porro tota diversarum opinionum expositio sub quatuor vel quinque capitibus concludi potest. Primo loco sit opinio Cajetani, quam post ipsum ut suam accepit pars longe major eorum qui thomistico nomine gloriabantur, quaeque hisce fere continetur: In creatis, suppositum, hypostasis vel persona, formaliter constituitur per modum quemdam substantialem, qui medius sit inter naturam individuam quam terminat incommunicabilemque facit, et esse quod illum consequitur, ac ab utroque realiter distinguitur. Hinc, quaerenti cur humanitas Christi non constituat personam, respondet id propterea fieri quod in ea desit modus ille subsistentiae seu personalitatis, et a personalitate Verbi suppleatur. Quod autem ad esse pertinet, in Christo desideratur esse creatum humanitatis: cum enim, auctore Cajetano, substantia creata nonnisi per subsistentiam fiat capax accipiendi proprium actum essendi, quippe qui sit actus hypostasis, consequens est ut, subsistentia dempta, suffectaque subsistentia Verbi, desit etiam esse creatum, et trahatur humanitas in communionem esse personalis increati. Cf. Cajetan in 3 p. q. 4 a. 2. Qua in theoria notabis humanitati Christi non ideo deesse personalitatem propriam, quod ipsa suo esse careat, sed e converso, deesse propriam existentiam quod absit personalitas propria.

Sententia Suarezii, cui, ipso duce ac patrono, multi quoque diversarum Scholarum theologi, saeculo praesertim XVII, suffragium dederunt, proxime satis fluit ab illa Cajetani.

Posuit nempe tantus ille doctor formam personae vel hypostasis absolvi substantiali modo subsistentiae vel *perseitatis*, quem in Christo supplet eminentius infinita Verbi subsistentia ; quod cum sit, una est persona in duabus naturis eademque divina. Hactenus Cajetano consentit ; sed in duobus ab illo discessurus, tum quod generatim existentiam modo personalitatis praeponat, tum quod esse creatum in assumpta natura salvum velit. Et merito quidem, me judice, recedit, si rationem hypostaseos absolvi per modum illum substantialem semel posueris. Hinc enim prius est esse quam accipere modos ; illinc vero nihil confert esse creati carentia ad hoc quod humanitas Christi sua propria personalitate privetur, quandoquidem per Cajetanum esse non est, sed subsistentia qua in creatis persona absolvitur. Cf. Suar. (de Incarn. D. 11 S. 3 ; Metaphys. D. 34 S. 4).

Sententia P. Claudii Tiphani (de Hypostasi et Persona. c. 24, sqq.) duabus negationibus, affirmationibusque duabus comprehendi potest. Et primo quidem, negat ullum requiri modum substantialem, ut substantia rationalis quae completa est et separatim existit, dicatur et sit hypostasis ac persona ; negat insuper esse creatum humanitatis in incarnato Verbo desiderari : quod cum sit, in uno Suarezio contradicit ; in duobus, Cajetano. Affirmat autem inter Verbum et humanitatem ita intercedere substantialem unionem, ut nullis mediantibus accidentibus modisve conjungantur, sed immediate. Tum etiam asserit in hujusmodi substantiali copulatione

Verbum retinere suam immotam personae rationem, humanam vero naturam non retinere, quoniam in accessione mutua Verbum non proficit ad melius quid et perfectius, humanitas vero in infinitum proficit atque nobilitatur : quo semel posito, natura assumpta deficit a *ratione totius* in se, quae propria personae forma est ; Verbum autem assumens, minime.

Sententia apud Nominales praesertim pervulgata satis, ponit suppositum esse « ens completum (ut excludantur partes et principia entis constitutiva), et incommunicabile per identitatem (quo non universales tantum substantiae, sed ipsa divina essentia removetur), nulli natum inhaerere (quod excludit accidentia quaelibet) et a nullo sustentatum (quo natura humana Christi subducitur) ». Ita Ockam (Quodl. IV q. 11). Itaque humana Christi natura ob hoc tantum persona non est, sed in persona Verbi est, quia *sustentatur* a Verbo. Ubi vero postulatur, in quo sita sit hujusmodi sustentatio, respondent eam esse concipiendam secundum analogiam sustentationis quam exercet subjectum ergo sua accidentia. Quare dependentia humanitatis Christi a Verbo talis est, demptis imperfectionibus, qualis est dependentia accidentis a subjecto cui inest. Ita cum Ockam (l. c.) Gabriel Biel (in III D. 1 q. 1 ; coll. I D. 30 q. 4), cujus verba sunt recitanda : « Haec dependentia, inquit, non est causati ad causam, nec conservati ad conservans, nec inhaerentis ad subjectum, sed nominatur a doctoribus dependentia suppositalis sive sustentificati, aut sustentati ad sustentificans.... (Hinc) unio personalis et hypostatica est unio qua natura, quae sibi dimissa esset persona, sustentificatur ab alia persona communicans sibi denominationem concretivam quam, sibi dimissa,

proprio supposito communicaret ». Haec Gabriel obscurissime. Theoriam istam eliquare tentaverunt theologi quidam recentiores ut illam facerent suam. Pro omnibus sit Theologia Wirceburg. (de Incarnatione n. 257).

« Si jam quaeris quomodo humanitas dependeat a Verbo (terminante, ut aiunt, seu sustentante) : Respondeo, dependentiam illam posse explicari per influxum sustentativum Verbi in *esse* humanitatis ; similem illi, ut ait Waddingus, demptis tamen imperfectionibus, quem praebet subjectum accidenti, et materia formae materiali : sicut enim hae formae producuntur cum dependentia a subjecto et materia, et nisi in illas continuo subjectum influeret, interirent, nisi Deus extraordinarie eas conservaret ; sic humanitas Christi producta est cum dependentia a Verbo et ejus sustentativo influxu ; ut, si Verbum ita sustentare humanitatem desineret, haec interiret, nisi Deus concursu extraordinario illum influxum suppleret. Dixi : demptis imperfectionibus ; nam quoad alia dissimilis est ratio : Verbum enim non sustentat humanitatem ita ut respectu ejus subjectum sit », etc.

Quid Scotus senserit, multum disputatur, aliis doctorem Subtilem in opinionem suarezianam trahentibus, aliis in opinionem Tiphani, ut Franzelin (thes. 29 cor. 3), aliis in partes Nominalium. Praestat ipsum audisse sua declarantem. Porro totam hac de re mentem suam tribus conclusionibus exhibuit (III D. 1 q. 1). Prima est, naturam quae individua est, non fieri personam per aliquid positivum ipsi superadditum (n. 6). Secunda est qua negat personam constitui per solam *actualis dependentiae* negationem, additam naturae : alioquin, ait, anima separata foret persona (ib. n. 8). Tertia demum est, ratione personae creatae supra naturam singularem

adjici tantummodo duas negationes, alteram *actualis*, alteram *aptitudinalis* dependentiae. Prioris causa nec anima conjuncta nec humanitas Christi sunt persona; posterioris vero, nec anima rationalis separata (ib. n. 9). Quo autem modo intelligenda illa humanae Christi naturae dependentia sit, subtilius a Scoto declaratur ibidem (n. 3), analogia ex subjecto et accidente desumpta. Accidentis, inquit, est duplex ad subjectum habitudo : una *informationis*, quae connotat utrinque potentialitatem et imperfectionem ; altera, *posterioris naturaliter ad prius non tamen ut a causa*, quae quidem, seorsum ab illa priori spectata, nullum in subjecto defectum includit, cum eo solum tendat, ut accidens sustentetur. « Huic autem simillima est ista habitudo quae est dependentia naturae humanae ad personam divinam, quae est extra omnem dependentiam causati ad causam... » Quibus perlectis et expensis, ii omnino mihi vicisse videntur, qui Scotum Nominalibus esse cognatum arbitrati sunt.

CAPUT VII

Varia catholicorum placita ad sententiam Angelici doctoris exiguntur diligentius.

Ad Cajetanum quod pertinet, aliud est in quo sententiam S. Thomae sequitur, nempe cum unum esse probat; aliud, in quo manifeste eidem contradicit, quando scilicet modalem subsistentiam constituendae personae creatae necessariam esse pronunciat. Constans enim S. Doctoris sententia est, substantiam quamdam rationalis naturae singularem et integram, hoc ipso quod per se existit, id est, ex mente S. Thomae suum habet esse proprium, esse personam; nec ad id probandum aliis testimoniis opus est, quam quae longa serie supra descripta fuerunt. Quod porro Cajetanus ponit, naturam substantialem indigere modo subsistendi, quo fiat idonea suscipiendae existentiae, luculenter adversatur tum formulae tritae: « forma dat esse »; tum rationi substantiae creatae quae *proxime* definitur id cui naturaliter competit esse in se, ut fert expressa S. Thomae doctrina (1). Defectus ergo modi substantialis, cum nullus sit, non id praestat quod quaeritur, ut humanitas nempe Christi non sit persona.

Præterea, quod summum est, cum ille qualiscumque modus, si daretur, esset ex natura rei quid accidentale (2), eo etiam remoto, ratio personæ tota et perfecta remaneret.

(1) V. sup. p. 14.
(2) Esset, ut animadverti pluries, accidens quoddam : nam « sub-

Exacta ad principia S. Thomae, Suareziana theoria in aliis probanda est, in aliis improbanda. Probanda, inquam, est, cum axiomatis loco statuit, nulla substantiali facta mutatione vel in assumpta substantia creata vel in assumente Verbo, nihil etiam esse cur humana natura dicatur unita substantialiter potius quam non unita: quo quidem argumento vehementer eos premit qui cum Tiphano senserunt.

Improbanda autem est tam in iis quae de constitutione personae docuit, quam in illis quae de unione. Et primo quidem, *modus ille perseitatis* quem Eximius habet ut formam hypostaseos, non requiritur, imo neque possibilis est, uti satis est demonstratum (1). At

jectum ejus esset *ens actu* » : quae propria et essentialis est accidentis nota. V. S. Thom. sup. p. 63. Propterea gratia sanctificans est accidentale quid, « quia cum adveniat post esse completum (i. e. animae jam existenti) de necessitate est accidens ». V. sup. p. 65. Principium enim generale est : quidquid advenit enti post esse substantiale, est accidens, aut accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse substantialis. V. sup., p. 42-43, 134-135.

Respondebit assecla quidam Cajetani, hæc omnia valere quidem contra modum Suarezii, quippe qui præsupponat existentiam creatam in subjecto, sed intactam relinquere Cajetani subsistentiam : hæc enim, ipso auctore, existentiæ præsupponitur, cum ea sit, qua mediante, suppositum efficitur capax accipiendi proprium esse. Nihil igitur obest quominus sit substantiale quid, cum antecedat ens actu. — At effugium ejusmodi nihil prodest : tum quia nihil mediat inter formam substantialem et esse ; tum maxime quia necesse est *accidens esse quidquid in ente supervenit post formam substantialem.* « Si plures (formæ fuerint), sequens non erit forma substantialis quæ facit esse simpliciter, sed solum accidentalis » (sup., p. 59, cum sequentibus) ». « *Quælibet* etiam forma substantialis facit ens completum in genere substantiæ : facit enim ens actu et hoc aliquid. Quidquid igitur post primam formam advenit rei, accidentaliter adveniet », etc. (II, c. Gent. c. 58, n. 3). Restat igitur ut concludamus subsistentiam Cajetani, quocumque tandem modo concipiatur et explicetur, habere pro subjecto ens in actu, atque ideo nihil ab accidente differre. Ergo recessus ejus rationem hypostasis, quæ tota quanta est substantia est, secundum doctrinam S. Thomæ tollere minime potest.

(1) V. sup., p. 134-135.

praeterea, nec in praedicta sententia satis unioni substantiali provisum esse videtur : quia natura creata, quae non solum habet esse suum, sed eidem etiam identificatur, nec rationem hypostasis deponere, nec substantialiter uniri cuiquam potest : quibus quidem probandis assertis, post ea quae tam capitibus quarto et sexto L. I, quam quae capite L. II cap. secundo cum sequentibus late disputata sunt, et contra Cajetani subsistentiam mox in nota scribebantur, frustra desudaretur. Addideris, si placeat, explicationem illam ex eo culpandam etiam esse quod posuerit unionem Verbi Dei cum humana sua natura perfici medio aliquo modo substantiali, terminos instar vinculi cujusdam nectente : quod vinculum, cum adveniret post esse perfectum et humanitatis et Verbi, conditionem accidentis utrinque prae se ferre, et ad unionem substantialem sarciendam omnino nihil conferre posse videretur (1).

Excludenda multo magis Nominalium opinio. Est enim ea quae laborat vitio duplici : nempe vel nihil nisi voces, et barbaras quidem, in medium profert ; vel, si quid clarius dicat, hoc idem secum pugnat.

Quod ad primum attinet, relege quae ex Gabriele Biel exscripta sunt. Id quidem clarius, quod aiunt Wirceburg.; sed, ut dixi, secum pugnans. Hinc enim supponitur humana natura Christi perfecta, et ita quidem ut habeat esse sibi proprium, quale nostrum est ; illinc vero ponitur *sustentari* in esse a Verbo, et ea quidem efficacia ut, si Verbum ab influendo cessaret, illa in nihilum cederet : quod utique perinde est ac si diceres illam ita habere suum actum existendi *proprium*, ut simul et semel eumdem non habeat.

(1) V. sup., p. 134-135.

Praeterea, *sustentatur*, inquiunt, a Verbo, eo influxus genere quo accidens a subjecto, demptis tamen imperfectionibus : quod iterum idem est ac si diceretur sustentata simul et non sustentata. Quae enim est argumentatio Tiphani contra Scotum (op. cit. c. 18), subjectum non *sustentat* accidens nisi per modum causae materialis et ratione suae potentiae passivae : qua dempta imperfectione sustentantis, nulla superest sustentatio. Humanitas denique Verbo sic unitur substantialiter, ut affirmetur esse per seipsam ens actu : quo pugnantia duo continentur, uniri scilicet in unam substantiam et non uniri. Et haec quidem dicta contra Nominales Scotum eodem ictu feriunt.

Multo sapientius S. Thomas (Comp. theol. c. 210) comparationem instituit accidentis cum humanitate Christi : « Potest autem, inquit, hujusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri. Subjectum enim et accidens non sic uniuntur ut ex eis aliquod tertium constituatur : unde subjectum in tali unione non se habet ut pars, sed est integrum quoddam quod est persona, hypostasis vel suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis et albi, et similiter eadem hypostasis et idem suppositum. Sic igitur secundum similitudinem quamdam persona, hypostasis et suppositum Filii Dei est persona, suppositum et hypostasis humanae naturae in Christo. Unde quidam propter hujusmodi similitudinem dicere praesumpserunt, quod humana natura in Christo degenerat in accidens, et quod accidentaliter Dei Filio uniretur, veritatem a similitudine non discernentes ». (Cf. eumdem 3 p. q. 2 a. 6 ad 1 ; III D. 6 q. 3 a. 2 ad 1). Sua tamen erit, et verissima quidem, significatio

formulae qua dicitur humanitas in Verbo sustentari, si dixeris hanc esse suo carere, nec in se sed in Verbo consistentiam habere suam : nec ulla, ut opinor, alia vocis adeo frequentatae occurrere potest verosimilior, imo verosimilis interpretatio.

Remanet ut de sententia Tiphani judicium feramus : contra quam recurrunt eadem fere argumenta quibus alias ex S. Thoma rejiciebamus. Et primo quidem, hoc ipso quod statuit humanam naturam suum esse proprium retinere, velit nolit, ponit etiam illam incommunicabilem ea incommunicabilitate quae personam constituit. « Quod enim habet esse completum in quo subsistit, non potest uniri alteri nisi tribus modis : vel accidentaliter, ut tunica homini... ; vel per modum aggregationis, sicut lapis lapidi in acervo ; vel aliquo accidente, sicut homo unitur Deo per amorem vel gratiam : et neutra harum est unio simpliciter, sed secundum quid » (III D. 6 q. 1 a. 2). Et re quidem vera, Tiphaniana illa opinandi ratio, si non verbis solum, sed rebus attendetur, vix ab illa differre videbitur quam S. Thomas ex antiquis theologis primo loco recitavit et confutavit. « Prima opinio dicit quod assumptum non tantum habet rationem humanitatis, sed etiam hominis, sed tamen non potest dici *quis* (i. e. persona), quia est alteri digniori adjunctum » (III D. 6 q. 2 a. 1). Cur autem assumptum hominem dixerint, non humanitatem tantummodo ? Respondet S. Thomas hoc ideo factum esse quod secundum ipsos « humana natura *non assumeretur ad esse divinae personae* » (ibid. q. 3 a. 2) (1). Caute tamen dixi : si rebus et non verbis attendatur : procul enim abest Tiphanus ut concedat id quod

(1) V. sup., p. 96.

assumptum est, esse vel suppositum, vel hominem ; sed ea tuetur principia quibus, Angelico judice, in antiquam illam opinionem etsi reluctans traheretur. Et haec quidem eos omnes urgent qui in esse creato retinendo suam operam impendunt.

Quod porro, loco fundamenti, saepius inculcat Tiphanus, excidi duobus modis a *ratione totius in se*, tum si realitas aliqua substantialis detrahatur, tum si quid praestantius addatur, nempe Verbum humanitati ; vel, ut inquiunt, defectu ad imperfectius et profectu ad perfectius ; hoc, inquam, nodum solvere posse minime videtur. Nihil enim in se totum ac perfectum efficitur alicujus additione quid substantialiter incompletum, ut induat rationem partis, nisi per illam additionem pereat ultimus actus quo res in ratione totius constituebatur. Ultimus autem actus ibi non perit ubi salva sunt et integra natura singularis et esse ejus, id est, illud totum quo persona creata completur. « Partes enim non habent proprium esse, sed sunt per esse totius », inquit S. Thomas jam hac in re citatus ; ac ideo per hoc solum ratio quaedam analoga partis humanitati Christi competere poterit, si esse suo carebit, ut existat per esse personale Verbi Dei. Addit praeterea Suarez contra sententiam eamdem argumentum sane validissimum : nempe quod, ut unio substantialis existat inter extremos terminos, oporteat aliquam mutationem, eamdemque substantialem, in uno vel altero vel utroque fieri : quae, nisi fiet, erit forte conjunctio quaedam accidentalis, nunquam autem substantialis. Propterea theologi, duce S. Thoma (1 p. q. 43 a. 2), communi consensu docent, non aliter Deum accidentaliter suae creaturae conjungi posse quam si realem immutationem illa subeat. Quam immutationem in re

praesenti S. Doctor assignat certissimam, tractionem scilicet humanitatis ab esse suo ad esse personale Verbi ; Tiphanus autem assignat nullam (III D. 13 q. 3 a. 1 ad 8 et 9).

Quae autem argumenta duxit Tiphanus vel a linea quae sine sui mutatione fit e toto pars, cum alia, eidem communi termino juncta, producitur ; vel a filiatione adoptiva quae apud homines sequitur gratiam sanctificantem, non sequitur apud Christum, in quo tamen excellentior gratia est, quia per filiationem naturalem impeditur ; haec, inquam, argumenta nihil ipsi prosunt. Quod ut apertum sit, considerandum est, tam in conceptu lineae totius quam in illo filiationis adoptivae necessariam includi *negationem*, aut scilicet ulterioris quantitatis linearis, aut filiationis naturalis. Haec enim linea tota est, non pars lineae, quae utrinque finitur ; haec adoptiva filiatio quae naturalem originem respuit. Quae cum ita sint, intelligitur perire in aliqua linea rationem totius, si vel minima fiat additio linearis ; perire quoque rationem adoptionis, per additionem filiationis naturalis, i. e., si ille cui inest gratia sanctificans, radix adoptionis et fundamentum, sit ipse Filius Dei secundum naturam. Verum aliter sese res habet, cum agitur de persona. Haec enim, tota quanta est, in positivo sita est. « Nomen persona, inquit S. Thomas, non est nomen negationis, neque intentionis, sed rei » (1 p. q. 30 a. 4) ; imo vero « persona significat id quod est perfectissimum in natura, scilicet subsistens in rationali natura » ; ex quo fit ut de Deo, cujus essentia continet omnem omnino perfectionem, affirmari debeat (1 p. q. 29 a. 3). Caeterum, Tiphanus, cujus opinionem confutamus, hoc ipsum continuis duobus capitibus egregie demonstravit (op.

cit. c. 18-19). « Cum, inquit (c. 18 n. 8), in qualibet hypostasi et persona creata multae sint negationes, ut non esse accidens, non esse universale, non esse partem, seu, quod idem est, non esse in alio per modum accidentis, universalis, partis, aut imperfectae substantiae in nobiliori et perfectiori, nulla ex his est de ratione formali hypostaseos, quia quaelibet ex eis... in aliqua ejus perfectione fundatur. Hypostasis enim est non accidens, quia est substantia ; est non universalis, quia singularis ; non est pars, nec alteri communicata, quia est substantia tota et integra ; ideoque hypostasis ad praedictas negationes se habet sicut non esse brutum ad hominem ». Adhibentur nempe negationes, ut id quod positivum est, per remotionem oppositi quod nobis est notius, declaretur.

Superest igitur ut concludamus exempla superius adducta thesi Tiphanianae minime patrocinari. Porro quia de Scoto satis dictum est in aliis confutandis opinionibus ad quas ejus sententia diversimode reducta est, bono jure colligendum est, doctrinam S. Thomae caeteris systematibus, quae cum ejus principiis omnino pugnant, anteferri debere.

CAPUT VIII

Octo singularia problemata quibus una doctrina S. Thomae plenissime satisfacit.

Multum facit ad sententiam Angelici doctoris commendandam, quod, ipsa praelucente, solvuntur aptissime singularia quaedam problemata, quae patroni diversarum opinionum, si forte Tiphanianam exceperis (1), nunquam diluere certo consoneque valuerunt.

1° An, spectata ratione vel hypostasis vel personae, substantia aliqua singularis, naturae rationalis et integra, supernaturaliter existere possit, quae tamen nec persona ipsa sit, nec alicujus personae? Id quidem contingere posse J. Damascenus absolute negavit (de Fid. orth. L. III c. 9) : « Quamvis, inquit, nulla sit natura quae hypostasi careat (ἀνυπόστατος), nec ulla essentia quae sit expers personae (ἀπρόσωπος) ; quippe cum et essentia et natura in hypostasibus considerentur et in personis ; at non necesse est ut naturae illae quae secundum hypostasim inter se conjunctae sunt, suam singulae hypostasim habeant ». Et merito quidem ille negavit. Vel enim illa substantia existit in se, seu, quod S. Thomae perinde est, habet suum esse; vel existit in alio, i. e. per esse alterius ad quod tracta fuerit : neque enim ullum est medium, ut nec esse proprio nec alieno consistat. Primum si dixeris, persona est ; alterum, personae. Legas, velim, apud Tiphanum (op. cit. c. 71) quomodo torqueantur

(1) Tiphanus (de Hyp. et Pers. c. 66-71).

hac quaestione Cajetanus aliique genuinae thomisticae sententiae desertores, his cum Cajetano affirmantibus, illis aut sine ratione cogente negantibus aut dubiis haerentibus.

2° Posset — ne creata quaedam natura vel ad duas personas finitas pertinere, quae naturam hanc solam haberent ; vel inesse duabus hypostatibus quarum altera finita esset, infinita altera ? Tiphanus (ib. c. 70) plurimos auctores exhibet impeditos hac quaestione, cui tamen in doctrina S. Thomae paucis quoad utrumque membrum satisfieri potest. Et primo quidem, priori quaestionis parti respondendum est negative. Duo enim illa supposita creata quorum una eademque natura esset, nihil haberent quo distinguerentur : nec essentiam, quae communis esset ; nec esse, quod ex probatis unum est unius naturae. Ad alteram quoque partem responsum est in promptu. Fac enim natura illa sit semel actuata per esse creatum, jam est hypostasis finita, atque adeo repugnat unioni substantiali cum infinita persona suscipiendae (1). Fac e converso quod assumpta sit ad personam infinitam, esse suo caret, quo dempto, hypostasis finita non est.

3° An plures divinae personae, sicut in eadem natura divina subsistunt, ita possent in una creata simul subsistere ? Nec opus est ut ad respondendum multa permisceamus, uti pluribus contigit. Affirmat itaque S. Thomas (3 p. q. 3 a. 6.). Id enim non repugnat ex parte personarum assumentium : siquidem in una divinitate tres subsistunt distinctae. Neque repugnat ex parte humanitatis assumendae : illa enim natura licet tracta sit ad

(1) V. sup., L. 1 c. 4 totum.

esse personale Filii, non impeditur quominus etiam in esse communicet cum Patre et Spiritu sancto. Cum enim unum et idem esse sit trium, trinae assumptioni unius naturae nequaquam obstat multiplicitas actus essendi quae prohibebat ne duae personae creatae, vel una creata, increataque altera, uni naturae finitae jungerentur. Quaeres fortasse quo distinguerentur habentes eamdem illam naturam ? Hoc ipso quo distinguuntur habentes divinam : relationibus. Quotuplex esset homo ? Unus homo, sicut et unus Deus.

4° Utrum una persona divina, puta Filius, potuerit assumere plures humanas naturas ? Respondet S. Thomas aiendo (3 p. q. 3 a. 7). Neque enim potentia divina qua fit assumptio, neque virtus essendi seu subsistendi in Deo limitatur, ut hoc quod persona divina praestat in una natura, in pluribus sine fine praestare nequeat. Quaerenti autem utrum, hac data hypothesi, plures essent homines vel unus ? respondet ibidem S. Doctor : Unus, quia nunquam apud nos et in nostro sermone « nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Homo enim qui est duobus vestimentis indutus, non dicitur duo vestiti, sed unus vestitus duobus vestimentis ».

5° Utrum hypostasis creata possit assumere naturam aliam praeter suam : naturam dico completam ? S. Thomas indubitanter negat (3 p. q. 3 a. 1 ad 2), aliis in alias et alias responsiones abeuntibus, ut videre est apud Tiphanum (op. c. c. 67). Causa autem negandi illa ipsa est quae causa fuit affirmandi, cum ageretur de divina persona : « Dicendum, inquit, quod persona dicitur incommunicabilis, in quantum non potest de pluribus suppositis praedicari : nihil tamen prohibet plura de persona

praedicari. Unde non est contra rationem personae sic communicari ut subsistat in pluribus naturis: quia etiam in personam creatam possunt plures naturae concurrere accidentaliter, sicut in persona unius hominis invenitur quantitas et qualitas. Hoc autem est proprium divinae personae *propter* ejus *infinitatem* quod fiat in ea concursus naturarum non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam ». Et, re quidem vera, *esse* personae cujusvis creatae *finitur* ad mensuram naturae cujus est actus : i. e. « ad capacitatem recipientis ». Cf. S. Thom. (1 p. q. 75 a. 5 ad 4; de Pot. q. 7 a. 2 ad 9, etc.). Quare nulla persona propter hanc finitudinem suam et esse sui valet hoc idem esse praeter et ultra naturae suae limites ad aliam naturam extendere, in qua subsisteret ipsa. Ac, ut exemplum assumam jam usurpatum, possumus quidem in praeexistentem nostram hypostasim alimenta convertere, sed ea tamen lege ut esse nostro non actuentur, nisi quatenus nostram integrent naturam.

6° Utrum Verbum potuerit assumere naturam hypostasis praeexistentis? Resp. affirmative. Cum enim esse rerum creatarum ab essentia distinguatur, nihil impedit quominus natura aliqua creata ab esse sibi proportionato trahatur ad esse divinae personae : quo contingente, natura praedicta non esset personae creatae propria, sed increatae seu Verbi. Simili prorsus modo, quia materia in compositis a forma differt, potest ab uno composito separari ut sit in alio sub alia forma, quacum in unitate novae naturae et hypostasis conjungatur. Propterea S. Thomas ait fuisse minus conveniens ut Verbum assumeret naturam quae in aliquo supposito vel angelico vel humano praeextitisset : id enim accidere non potuisset sine corruptione personae illius, cujus antea natura fuis-

set, imo naturae ipsius, ut loquitur IV c. Gent. c. 43; col. 3 p. q. 4 a. 1 ad 3. Et persona quidem corrumperetur, utpote quae esse desineret. At impropria seu latiori quadam significatione natura ipsa dici posset corrupta quae suo esse connaturali privaretur, quantumvis ad altius esse raperetur. Caeterum hujusmodi corruptio locum in Incarnatione non habuit: assumpsit enim Verbum naturam quae tunc primo extitit, cum assumpta est. Quare, si quandoque Patres dicunt personam Dei consumpsisse personam hominis, « consumptio ibi non importat destructionem alicujus quod prius fuerat, sed impeditionem ejus quod aliter esse posset. Si enim humana natura non esset assumpta a divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet; et pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet improprie, quia persona divina sua unione impedivit ne humana natura propriam personalitatem haberet » (3 p. q. 4 a. 2 ad 3; col. III D. 5 q. 3 a. 3 ad 4).

7° Utrum, divinis personalitatibus per intellectum semel abstractis, intelligeretur adhuc assumptio naturae creatae cujusdam ad Deum in unitate personae? Praemittenda sunt duo. Primo quidem, dicendum quod intellectus dupliciter se habet ad divina: uno modo ut cognoscat Deum sicut est; et sic impossibile est quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo, ita scilicet ut aliud videatur, aliud non videatur; videatur Deus ut unus, non videatur ut trinus; videatur essentia, non videantur relationes personales et personae. « Alio modo se habet intellectus ad divina, non quidem ut cognoscens Deum (intuitive) ut est, sed (abstractive) per modum suum, scilicet multipliciter et divisim id quod in Deo est unum; et per hunc modum potest intellectus noster in-

telligere bonitatem et sapientiam divinam, et alia ejusmodi quae dicuntur attributa essentialia, non intellecta paternitate vel filiatione, quae dicuntur personalitates » ; nec solum potest, sed debet, si fide non sit illuminatus. Secundo, oportet distinguere principium assumptionis a termino. Quod ad principium assumptionis attinet, istud absolute concipitur, non intellectis relationibus hypostaticis : est enim omnipotens Dei voluntas. Ergo quaestio tota eo reducitur, utrum Deus possit concipi non solum uti principium assumptionis, sed etiam ut terminus, non intellectis personalitatibus ; aliis verbis, utrum, si concipiatur Deus ut ens primum et supremum, uti philosophus aliquis fide non imbutus illum sibi repraesentat, adhuc intelligi possit ut assumens ad se naturam creatam. Quaestione sic circumscripta, respondet S. Doctor (3 p. q. 3 a. 3 ; col. III D. 5 q. 2 a. 3), posse. Etenim sic conceptus existit in intellectu ut Deus personalis : siquidem apprehenditur ut substantia completa, in se existens, singularis et ab alio quovis essentialiter distincta : quae sunt notae personae. Praeterea nihil *evidenter* obstat prae lumine rationis, quominus ad esse personale suum naturam creatam attrahat, ut ipsa non in se subsistat, sed in illa, Deus. « Circumscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum, remanebit in intellectu una personalitas Dei, ut Judaei intelligunt ; ad quam terminari poterit assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi ». S. Thom. 3 p. l. cit. ad 2.

CHRISTO LAUS ET AMOR IN AETERNUM

INDEX RERUM

LIBER PRIMUS

Pagin.

PROOEMIUM 1

CAPUT I. — Definitiones terminorum : esse, ens, existere in se, subsistere, subsistentia, substantia, accidens. 7

CAPUT II. — Modus intelligendi distinctionem inter essentiam et esse. 17

CAPUT III. — Quid de praedicta distinctione S. Thomas senserit et docuerit? Quo sensu « forma dat esse ? ». 26

CAPUT IV. — Principia tria totam de unione substantiali doctrinam moderantia 41

CAPUT V. — Subindicantur quaestiones quas S. Thomas ope distinctionis inter essentiam et existentiam enodavit.. 45

CAPUT VI. — Multiplex principiorum c. quarto statutorum applicatio. 51

CAPUT VII. — Expolitio conceptuum hypostasis et personae . 67

CAPUT VIII. — De habitu naturae et essentiae ad hypostasim ac personam 76

LIBER SECUNDUS

CAPUT I. — Quod humanitas Christi non sit persona, quia carens esse suo proprio tracta est ad esse personale Filii Dei. 87

CAPUT II. — Quod unitas actus essendi sit fundamentum unionis substantialis qua Verbum humanitatem sibi copulavit. 94

CAPUT III. — Quod unitas entis et subsistentis unitatem actus essendi postulet. 97

CAPUT IV. — Nec capitibus hisce doctrinae reluctatur quaestio disput. de unione Verbi incarnati. 103

CAPUT V. — Quaestio dogmatica de compositione personae Christi ex iisdem principiis dirimitur 112

CAPUT VI. — Compositum theandricum cum humano comparatur 117

Pagin.

CAPUT VII. — Quod unitas actus essendi non obstet quominus una tantum persona sit incarnata 121
CAPUT VIII. — Quod, salva actus essendi unitate, unio fieri potuerit in unitate personae, quin fieret in unitate naturae 126
CAPUT IX. — Quid de modo substantiali unionis sentiendum ? quid de unione sumpta pro relatione ? Ultimo, quae sit ratio stricta unionis hypostaticae ?. . 131

LIBER TERTIUS

CAPUT I. — Praecipuae quaedam objectiones proponuntur, et, quoad fieri potest, ex doctrina S. Thomae diluuntur. 143
CAPUT II. — Pergitur in explicatione difficultatum 154
CAPUT III. — S. Thomam nonnisi unum esse quod est actus existendi, Christo tribuisse, traditione perpetua demonstratur. 162
CAPUT IV. — Testimonia synchronorum, ac nominatim Godofridi de Fontibus et Bern. de Ganaco. . . . 172
CAPUT V. — Doctrina S. Thomae Patrum doctrinae comparatur. 180
CAPUT VI. — Varia diversorum systemata, cum sententia doctoris Ang. conferenda, primum exponuntur . 196
CAPUT VII. — Varia illa catholicorum placita ad sententiam S. Thomae diligentius exiguntur 201
CAPUT VIII. — Octo problemata quibus una doctrina S. Thomae plenissime satisfacit 209

ERRATA QUAEDAM CORRIGENDA.

Pag.	Lin.		Lege.
22	15	compositio	composito.
»	17	necesse	nec esse.
23	4	vivit, per	vivit, sicut homo per.
32	9	ultimum	alium.
»	24	alia qua.	aliqua.
46	l. ult	essentiam.	essentia.
47	6	formulam.	per formulam.
65	13	D. 179. 1 a. 2.	D. 17 q. 1 a. 2.
113	13	compositionis locum. .	compositionis (quem dicunt *hujus ad hoc*) locum.

Imp. G. SAINT-AUBIN ET THEVENOT, St-Dizier; 15-17, passage Verdeau, Paris.

716

HOLY GHOST FATHERS
FERNDALE
NORWALK, CONN.

3 5282 00069 8517

DATE DUE

BT213
T4x

STACKS BT213.T4x
Terrien, J. B.
S.Thomae Aquinatis doctrina sincera de u
3 5282 00069 8517